ΠΡΩΤΟΚΤΙΣΙΑ,
Seu

CREATIONIS A DEO FACTAE, ET IN EA PRIORIS ADAMI EX CREATIONE INTEGRI & EX LAPSU CORRUPTI, HISTORIA:

Cui adiecta chorographica tabula Babyloniæ, & in ea Hedenis circumscriptio, ex probatis auctoribus priscis & recentioribus, veram dilucidamque fluentorum Euphratis & Tigridis delineationem continens, & demonstrans consensionem omnium.

IN TRIA PRIMA CAPITA GENESEΩΣ Prælectiones FRANCISCI IVNII.

Item,

CONFVTATIO Argumentorum XXII, quæ olim à Simplicio in Sacram Mosis historiam de Creatione, fuerunt proposita, & hoc nostro seculo ab hominibus prophanis Atheisque recocta imperitis obtruduntur.



CIƆ IƆ LXXXIX.

GENEROSO ET MAGNIFICO DOMINO, D. SIGISMVNDO RAKOCZI, COMITI COMITATVVM Borsod ac Hevves, &c. supremo sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis φρουράρχῳ Agriensi, &c. Domino clementissimo S. P.

CVM his diebus nuncius, Generose Domine, de rebus tuis fortiter gestis adferretur, duplex simul admiratio animum meum occupavit, pietatis tuæ, & fortitudinis: quarum illam iamdiu popularibus tuis & regioni tuæ ostendisti, alteram ante paucos menses testatam fecisti magno Hungariæ commodo, & maxima laude tua. Ac pietatis quidem illius, quam G.T. iamdiu coram Deo in illustri huius mundi consenescentis theatro explicavit, tum Deum ipsum assertorem nosti, cui servis ex animo tuo & conscientia pura, tum Angelos Dei hominesq́ palàm testes communes habes suffragatorésque laudis tuæ in terrarum orbe. Nam ex te vno per singularem quamdam divinamq́ gratiam & Hungaria tua incredibiles pietatis fructus percipit ab administratione tua, & exteri quoq́ plurimi amplissima eius documenta à G.T. profecta summo opere laudant atque admirantur. Quis enim tua illa generosa facta aliter possit accipere? qui in tuis defendendis & augendis maximo animo consumis omnem operam quàm fidelissimè, & omnes sumtus facis munificentissimè, quos ad commune bonum vides pertinere. Si ad temporarium bonum Hungariæ tuæ attendimus, tu mihi inter alios adeoq́ ante alios is videris esse, qui commoda tua abiicias, vt Reipubl. vestræ & Christianæ commodes: Si ad spirituale Ecclesiarum Christi, clamant foris sumtus regifici, clamant alumni tui, quos ad pietatem discẽdam tenendamq́ ad viros doctos Ecclesiasq́ optimas ablegas, & in celebribus quibusq́ scholis curas informari ac imbui omni cognitionis vtilis & salutaris genere. Domi verò, in patria, apud populareis tuos, quis dubitet expositum exstare palàm vberrimum

illum fontem pietatis tuæ, cùm ad gentes etiam longè dissitas non riuuli tenues ducantur & manent. sed fluenta quædam exundante liberalitate & munificentia G.T. differantur? Testes possem adferre, si vellem, aut res postularet, idoneos orationis meæ: sed abstinebo à nominibus ipsorum, ne aut illi videantur G.T aut ego illis ineptissimè assentari. De fortitudine verò quid dicturi sumus? Nam siue in ferendis malis, siue in periculis obeundis, siue in bonis contemnendis, vertendisq; in communem vsum & alienum adiumentum eam statuamus: tu mala publica forti animo sic perfers, vt cures fortiore; tu generosum illud caput tuum pro communi salute summo cuique discrimini eluctaturus indesinenter obiicis: tu incredibilem animi magnitudinem orbi Christiano testatam facis commodorum omnium despicientia, modò genti tuæ commodes, & toti Christianitati nostræ: denique his nostris funestis temporibus diuinitus videris datus, qui summa pietate, virtute, fide, æquitate, animi magnitudine ita luceas in Hungaria tua, vt præluceas omnibus. Atque hæc quidem lumina si in vno aliquo homine seorsim emicant, probamus, laudamus, atque admiramur: sed vbi cuncta in vnum velut collata & in eo quasi deposita à Deo opt max. & omnis bonæ donationis autore gratiosissimo videntur esse, hæc verò incredibiles sui amores excitant, & bonorũ omnium sic afficiũt animos; vt quem succum in tantis hominibus vident, eius saltem colorem sibi inesse exoptent, eoq; sese imbuant diligentissimè. Quæ res certam spem mihi cogitanti facit, fortissimam illam gentem tuam ad exemplum G.T. fortissimorumq; hominum qui adhuc vixerunt, viros nobis pariturum esse, vt Lacænæ illius vtar verbis, & firmum præsidium Christiano orbi, Hungariæ tuæ incrementum, sanctæ denique Ecclesiæ ornamentum amplissimum allaturam. Horum autem bonorum omnium, generose Rakoczi, autorem atque effectorem Deum quòd fideliter colis, quòd religiosè procuras cultum illius, quòd piè colentes promoues, rectè & sapienter facis. Quid enim illud est, obsecro, quo præclaræ illæ virtutes verè generantur, aluntur, foventur, confirmanturq; in nobis si à summa illa paternaq; prouidentia Dei,

quem

quę ex animo colis cultu religiosissimo, discesseris? Illa te huic seculo nostro & Hnugariæ dedit propugnatorē fortissimū: illa te aluit studiosissimè in rebus angustioribus, & perduxit ad illud dignitatis culmē, quò te amplissima tua merita, nō ambitiosi fumi, communes palatiorū pestes, perduxerūt: illa te, alumnum suum, fovit potentissimè, & consilia, facta, eventa rerum tuarum sic moderata est, vt insperata quasi gratia incredibilem existimationem, id est, tantorum meritorum præmium apud omnes mortaleis incredibili omnium ordinum consensu reportaveris: Illa denique te cùm in rebus cæteris, tum in hoc postremo conflictu quo prædones illos Turcicos fortissimè fudisti, attrivisti, concidisti, tanto opere confirmavit, vt nihil ampliùs ad summam illam gloriam, quæ hîc tibi comparata est meritis tuis amplissimis, apud homines accedere posse videatur. Vidit enim G. T. profectò vidit, atque experta est reipsa, quàm verum sit illud quod ait Psaltes, ô beatos qui se recipiunt ad Dominum! vidit quod videbat Moses in Spiritu, & suis ex facto præstare solitus est Dominus conquiescentibus in se: vt mille ex vobis, inquit Moses, decies millenos fugaturi sunt! ô te felicem, qui iamdiu promissiones divinas animo percipis, & iam ex facto complementum gloriosissimum quasi manu obtines, idémque exponis ante ora oculósque omnium in posteritatem prædicandum. Quæ cùm ita sint, gratulor primùm G.T. rerum istarum nomine, quas à Deo acceptas piè fortitérque occupas & consumis in amplificanda ipsius gloria: gratulor Hungariæ tuæ, quæ te alumnum sustinuit & habet propugnatorem: gratulor nobis omnibus & Christianitati, quòd tali & tanto propugnatore adversus furiosos Turcarum impetus & barbaras incursiones defenditur. Deóque opt. max. maximas, quas possum, ago & habeo gratias, quòd divino suo beneficio providit sapientissimè, vt tuis tantis officiis ac beneficiis Christianus orbis coleretur exornareturq; prolixissimè. Huius autem gratulationis & εὐχαριστίας meæ testem, publicumq; virtutis illius tuæ indicem, pro tuo merito amplissimo,

pro studio meo promtissimo, & de bonorum quorumdam sententia, visum est ad G.T. allegare; vt omnes videant quanti apud me sit virtus illa incomparabilis, & quanta accuratione nostris hominibus à me, totiq́ posteritati in exemplum virtutis (si quid est quod præstare possum) statuenda. Scio quidem non esse tanti munusculum istud meum, vt T.G. offerre ausim: Sed hac fiducia ausus sum G.T. appellare, quòd argumentum acceptum fore pietati tuæ, tenuitatem verò meam & laboris mei ab humanitate tua facilè excusatum iri considerem. Argumentum hoc tempore, his rebus atque moribus quàm sit necessarium, optimè novit T.G. Mundi creationem explico: quid in rerum natura maius? hominis integri & corrupti conditionem percurro: quid magis necessarium? Philippum illum Macedonem aiunt, quum victis hostibus triumphos multos comparasset, puerum instituisse qui singulis matutinis ante omnes salutatores ingressus in conclave diceret ipsi in os, memento te hominem esse: vt contineret sese in officio, naturalis infirmitatis & instabilitatis, qua feruntur omnia, conscientiâ. Mosem verò quis dubitet libentiùs à te audiri & legi? quo docente non solùm homines esse nos agnoscimus, sed etiam quæ natura hominum in sese, quæ exspectatio in Deo, quæ salus in Christo, perdiscimus. Tum autem, quia Satanas maximè in istis partibus veritatem Scripturæ conatur labefacere, cuius administer vespertilio quidam his paucis annis prodiit, per domos potentiorum circumvolitans in tenebris, & infirmorum subvertens fidem; adieci libellum eiusdem materiæ, in quo & argumenta illius impia ex Simplicio & fæce philosophorum sumta exprimuntur, & sanctæ responsiones ex verbo Dei iustaq́ eius intelligentia opponuntur ad veritatis divinæ illustrationem. Atque hæc re coniunctissima, quamvis modo inter se differentia, visum est coniunctim προσφωνεῖν T.G. non quòd opus habere te arbitrer documentis meis: sed quòd me hac ratione rem non ingratam facturum putaverim, si palàm Deo & tibi secundùm Deum gratias egero pro rebus gestis tuis amplissimis, speraverimq́ me eadem operâ tum fortissimæ genti tuæ, tum bonis omnibus profuturum, exposito

exemplo

exemplo virtutis tuæ, & fundamento divinæ veritatis ab iniquis tenebrionum dentibus vindicato pro tenui facultate mea. Itaque à T. G. id summissè peto, vt quem fœtum eodem fermè tempore in lucem emisi ad gloriam Dei, quo insignem illam victoriam & laudem nomini tuo & genti peperisti, eum gratiosè clementerq; accipias, & sub patrocinio amplissimi nominis tui ad gloriam Dei patiaris dimanare. Armis materiatis fortiter pugnavit T. G. adversus truculentos hostes corporibus liberis omnia dura & sæva minitantes. Arma hæc spiritualia militiæ nostræ T. G. offero, & dico, vt pari virtute ac fide cum hostibus veritatis divinæ dimicans, sanctissimam illam veritatis lucem pro tua autoritate & fide pergas (vt facis) propagare. Quam ad rem si quo pacto mea ars T. G. aut genti inservire & commodare vnquam poterit secundùm Deum, equidem quantuscunq; sum, omne studium, operam, laborem atque industriam ex animo spondeo G. T. deferoq; in Domino.

Generose Domine, Deum oro & Patrem Domini nostri Iesu Christi dignetur G T omni beneficentia prosequi, consiliis præesse, sanctis conatibus favere actiones secundare, tibique & tuis omnibus benedicere cumulatissimè ad gloriam sui nominis & commune bonum. Kal. Martiis, CIↃ.IↃ.XXCIX.

T. G.

Studiosissimus servus
FRANCISCVS IVNIVS.



GENEROSO ET NOBILI VIRO, D. SIGISMVNDO RAKOCZIO, Comiti, &c.


Votum Epinicion.

HVngariæ columen, proles veneranda Tonantis,
Præsidium gentis, Christigenumque decus;
In cuius sacrum, ventosque & acinaca jurans
Trux Scytha, constituit cuncta movere caput:
Cui claros peperit gens perfidiosa triumphos,
Materies laudis certa futura tuæ:
Non ego pro meritis virtutis præmia tantæ
Offero; sunt Musæ divitioris opus.
Quod mea cura potis, quod adest, generose Rakoczi,
Offero; parva tibi munera, parva mihi:
Munera parva, tuum seros doctura nepotes
Nomen & officij pignora grata mei.
Excipe donantis placido mea munera vultu:
Supplicis excipiet vota secunda Deus.
Det Deus, horrescat fortis virtute Rakoczi
Turcus atrox, Lunæ, signa cruenta, ruant.
Det Deus, æterni per te spiramina verbi
Prævaleant, tollatque Hungaris ora caput:
Victrixque invictas tendens ad sidera palmas,
Promoveat Christi principis imperium.
Det Deus, æternùm toto lauderis in orbe
Turcorum terror, Christigenûmque decus.

FR. IVNIVS *ponebat.*



Chorographica
tabvla
Babyloniæ.


SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
ASSYRIÆ pars.
MESOPOTAMIÆ pars.
Singaras m.
CHALDAEA
Paludes Chald.
Parapotamia.
Mesene
SVSIANES pars.
MERODACIA.
Vetus Euphratis alveus.
Euphratis alveus
Tigris ostium.
SINVS PERSICI PARS
Montana Chaldææ.
ARABIÆ DESERTÆ pars.

NOTARUM PRAECEDENTIS
Tabellæ Expositio.

IN hac tabella fluentorum Euphratis nomina, quæ ad situ͂ Hedenis maxime pertine͂t, suo ordine, ab occasu ad ortum Solis pertẽdentes, literis Græc. α β γ δ. opidoru͂ verò vicorumque, numeralibus signis distinximus.

Fluentorum, quę literis distinguuntur, hæc sunt nomina:

α GICHON Mosi, Mahar sares Straboni, Baharsares Ptolemæo, qui & Narragaz Plinio, Marsias Ammiano, propriè Nehar-saris vel Nehar-sares, aut Nehar-ragaz.

β PERATH Mosi, Euphrates κατ᾽ ἐξοχὴν dictus, qui Babylonẽ mediã permeans, itẽ quam Otrin vocãt, distrahitur maxima sui parte in paludes, inquit Plin. li. 5. cap. 26. natur. hist. partimque, vt vult Ptolemæus, cum tertio alveo inter Otrin & Apameam committitur. Sed Otrin non appinximus, quia planè non cõstabat nobis de situ ipsius. Supplebit qui volet. Quà derivatur autẽ, opidum fuit Agrani e maximis, quod diruêre Persæ. Nos autẽ hanc derivationem interducta linea pura ab Euphrate ad Chaldaicas paludes in tabella designavimus.

γ PISCHON Mosi, Ammiano Nehar-malca, Plinio Armalchar corruptè. Gręcè ὁ βασίλειος ποταμὸς, Ammiano interprete regium flumen, secundùm Seleuciam Babyloniam (vt Plin. vocat) ab occasu fluens.

δ CHIDDEKEL Mosi, Tigris vulgo, fluẽtum breve quod circa Seleuciã in ortũ flectens præfluẽti Tigri infunditur, vt ait Plinius.

Opidorum nomina secũdo Euphratis & Tigris alveo distinximus. Atque hæc illa sunt.

1 Bethauna Ptol. leg. Bethona.
2 Resçipha Ptol. ex Scripturis Retzeph.
3 Belginæa vel Belginnæa: lego Bel-channæa, à Bahal-chanane.
4 Agamana Ptol. leg. Achmana.
5 Idicara Ptol. leg. Iad-hagara.
6 Eudrapa Ptol. lego Hadar. appa.
7 Addæa Ptol. lego Hadadæa.
8 Dorabba Ptol. leg. Bor-rabba.
9 Thacona Ptol. lego Thecona.
10 Pacoria Ptol. lego Pethor ex Script.
11 Teridata Ptol. leg. Thelridtha.
12 Naarda Ptol. lego Naharda.
13 Sipphara Pto. Sephar ex Script.
14 Thelbecane, vel Thelbencane Ptol. lego Thel-bachana. Hipparenum Plinio.
15 Volgesia Ptol.
16 Barsita, vel Borsitta Ptol.
17 Masice vicus Plinio lib. 5. 26. *Scinditur Euphrates à Zeugmate 83. millibus passuum circa vicũ Massicen: & parte læva in Mesopotamiã vadit per ipsam Seleuciam, circa eam præfluenti infusus Tigri: dexteriore autem alveo Babylonem petit, &c.*
18 Babylon Ptol. Babel ex Script.

Sequẽtia op. ad Tigrin sita sunt,.

usque-dum cũ Euphrate cõfluat.
19 Bæthusa Ptol. l. Bethhauscha.
20 Lambana Ptol. lego Lebana.
21 Ninus Ptole. aliis Ninevi: Nineve ex Script.
22 Sacada Ptol. lego Sekatha.
23 Birtha Ptol.
24 Carthara Ptol. leg. Kartha-ara.
25 Mãchane Ptol. lego Machane.
26 Oroba Ptol. Rechoboth ex Script.
27 Thelde Ptol. huic juncta est regio Parapotamia, & in ea opidum Dibitach.
28 Seleucia, Ptol. Hìc toto gradu Ptolemæus vitiosus est in Seleuciæ & Ctesiphontis situ. quem ex Strabone & Plinio emẽdavimus. *Babylonia*, ait Plinius lib. 6. cap. 26. *in solitudinem redit, exhausta vicinitate Seleuciæ ob id condita à Nicatore intra nonagesimum lapidem, in confluente Euphratis fossa perducti atque Tigris: quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac sui iuris, Macedonumq; moris. Ferunt ei plebis urbanæ d.c. M. esse: situm verò mœnium, aquilæ pandentis alas: agrum totius Orientis fertilissimum. Invicem ad hanc exhauriendam, Ctesiphontem iuxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidere Persæ, &c.*
29 Ctesiphon, Ptol.
30 Thel-scaphe Ptol. lego Thel-schaphi.
31 Apaméa Ptol. huic ex adverso Digba Plinio lib. 6. nat. hist. ca. 26.
32 Aræ Herculis, Ptol.
33 Agra Ptol.
34 Bilbe Ptol.
35 Didigua Ptol.
36 Gunda Ptol.
37 Aracca Ptol Erec ex Script.
38 Batracharta Ptol. lego Bathra-kartha.
39 Talatha Ptol. lego Thel-atha.
40 Asia Ptol. lego uschaja.
41 Teredon Ptol. leg. Thelredan.
42 Charax, seu vallũ Pasinis Ptol.

Sequentia opida ὀρθογράμμως fermè secũdùm gradus, quia mediterranea sunt, & à fluminibus dissita, suis item numeris distinximus.

43 Chuduca Ptol leg. Chol-dika.
44 Ragia Ptol. lego Rekiha.
45 Pumana Ptol.
46 Beththana Ptol. lego Beth-theena.
47 Cæsa Ptol. lego Ketzirza.
48 Sorthida Ptol. lego Tzehorat-jada.
49 Sarchambe Ptol. sive (vt vulgo in Latinis libris legitur) Birambe.
50 Orchoë Ptol. Vr, ex Script.
51 Beana Ptol.
52 Thelme Ptol. leg. Thel-amme.
53 Iamba Ptol.
54 Altha Ptol. lego Elatha, vnde Attali latrones à Plinio dicti.
55 Rattha Ptol. lego Redtha.

FRANCISCI IVNII
PRÆLECTIONES
IN GENESEΩS

CAPVT. I.

FINIS Mosis est in hac narratione duplex: primus, vt Deum, quà creator est, cognoscamus: Secundus, vt nos ipsos, quà creaturę sumus, principiáque nostra & quasi cunabula Ecclesiæ Dei.

Summa est, Deum iusto tempore principia rerum omnium, Elementa, & species vel formas Elementares singulas, pro infinita sua potentia, bonitate, & sapientia creauisse atque condidisse ad gloriam suam, & rebus singulis, quæ quidem propagantur, semina ad propagationem suæ speciei indidisse.

Hæc Itaque huius capitis est Oeconomia: tres esse illius partes: Primam, de naturæ principiis, versu 1. & 2. Secundam, de Elementis, eorúmque functionibus, inde à versu 3. ad 10. Tertiam, de rebus Elemētaribus siue compositis ex Elementorum coagmentatione, à versu 11. ad finem vsque capitis.

1. *In principio creauit Deus cælum & terram.*

Primus huius capitis locus est de principiis creationis huius. Principia autem duobus modis dicuntur: Nam alia sunt intus in re, alia foris. Quamobrem optimè Plato olim principia tria constituebat ὑφ' οὗ, ἐξ οὗ, ἐφ' οὗ, Aristoteli verò placuit evidentiæ causa eą distinguere, ita vt principia interna speciatim ἀρχὰς, externa verò αἴτια, id est, causas appellauerit.

De vtroque principiorum genere, puta externo, quod est ποιητικὸν, & interno, Moses coniunctim hoc loco agit accuratissimè.

Principium externum agens creationis nominatur Deus. Interna verò nominantur tria (vt à Philosophis sa-

pienter fuit constitutum) ex quibus principijs aliæ res ortæ sunt: vt quæ nec sunt ipsa σύνθετα, nec ἀποτελέσματα, sed ad generationem & constitutionem eorum pertinentia. Primum est materia, quam Moses denotat his verbis, *cælum & terram*: Secundum, priuatio formæ, illis; *Terra erat res inanis & informis*: Tertium, Forma accedens Spiritus sancti operatione, altera parte secundi versus.

De externo principio prædicantur duo; Vnum, quis sit causa efficiens summa, principiumque principiorum omnium: Alterum, quæ actio ipsius.

Causa efficiēs nominatur Deus, *Elohim*: quod nomen plurale quidem est, sed singulariter vulgo exponitur ad vnitatem essentiæ Dei ostendendam: vt contrà alijs placet pluraliter pronunciari ad S. Trinitatem personarum in vnitate essentiæ diuinæ demonstrandam. Ac sanctum quidem illud est, quod in Symbolo Athanasij dicitur, non plures Deos, non plures omnipotentes, &c. id est, ea attributa quæ de essentia Dei citra distinctionē relationémve personarum dicūtur, singulari potiùs numero quàm plurali dici oportere: nempe vt hæreticis occasio præcidatur oblatrandi sanctissimo illi mysterio quod ex Spiritu sancto didicimus: Sed tamen eiusmodi appellationes pluraliter quoque enunciari sanctè à pijs possunt, modò sanctè accipiantur. Huius enim generis multæ sunt in vetere Testamento: vt Genes. 20.13. & alibi passim. Propterea etiam confirmare ausim, per vocem *Elohim*, plurali numero necessariò Trinitatem personarum denotari. Nam etsi duę sunt maximæ causę, cur vinci necessariò nō posse videatur ea interpretatio: Vna, qua Iudæi vtuntur plurimùm, nempe quòd εὐφημίας, id est, honoris causa pluralis numerus dignioribus plerumque tribuitur: Altera, quòd nomen *Elohim*, siue εὐφημικῶς, siue συνεκδοχικῶς id dicamus factum, de persona etiam vnica in Scripturis sacris vsurpatur. (Exemplum esto Psal. 45.7. quem locum Apostolus disertè adducit Hebr. 1. ostendens de persona

Chri-

Christi accipi ipsum oportere) verumtamē nos hic sanctè & ex fidei analogia nomine *Elohim*, Deum patrem, Filium & Spiritum sanctum intelligimus, vnum Deum essentia & creatorem vnicum: neque illis argumentis ab hac sententia nostra dimouemur. Nam, vt prius demus aliis in personis obseruari, id tamen certum est, nusquam plurali numero de se loqui personam primam, vt in versum 26. ampliùs dicturi sumus: Deus autem passim hoc modo loquitur, *Ego sum Elohim*, &c. Posterius verò argumentum non valet à figurato ad proprium prędicationis modum: Nam *Elohim* quum de vna persona dicitur, synecdochicè dictum est, propter essentiæ vnitatem, secundùm illud Nazianzeni, ὐ φθαίω τὸ ἓν νοῆσαι ϗ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι. ὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, ϗ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. Atque hæc de agente. Actionem describit Moses verbo Hebræo Bara, quo significatur opus aliquod magnificum & gloriosum patrare magnificè. Cùm autem inter omnia creationum genera illud primas facile obtineat, quod Deus ex non Ente (vt ita loquamur) fecit Ens, optimè creationi tanquam optimo & potentissimo operationis modo hoc verbum tribuitur. Quemadmodum etiam in causa regenerationis idem verbum à Dauide vsurpatur Psalmo 51. *Crea in me spiritum nouum.*

Sequuntur deinceps interna principia, Materia, Priuatio, & Forma, vt antè diximus. Materiam demonstrat his verbis, *cœlum & terram*, vt vulgo exponuntur; vel potiùs, id quod jam cælum est & terra. Nam antè quam forma ad constitutionem rei accesserit, hoc cælum & terra propriè non fuit, sed quasi semen informe cœli hujus & terræ. Verumtamen ita plurimùm loquuntur Hebræi synecdochicè, rei ipsius principium de nomine rei perfectæ appellantes: quemadmodū inquit Augustinus etiā tum appellari domū, quū adhuc ædificatur. His igitur verbis omnino significatur Materia τοῦ παντὸς φυσικοῦ siue vniuersitatis qua natura continetur: quæ vniuersitas duobus

ſuis terminis deſignatur ſynecdochicè, nempe centro & περιφερείᾳ. Ambitus enim τοῦ παντὸς cœlum eſt, & centrum terra: Quarum extremitatum & rerum quæ continentur illis, materia inordinata & cõfuſa poſteà appellatur Abyſſus, ſequẽte verſu. Cæterùm hujus materiæ (quã ſynecdochicè ab enumeratione partiũ extremarũ deſignat Moſes) varia eſt interpretatio. Nam alij hæc verba prolepticè accipiũt; alij verò hiſtoricè. Qui prolepticè interpretãtur, ſtatuũt Moſen in hoc verſu ſummatim cõprehendere, & in duas partes diſtinguere quæcunq; reliquo capite de admirabili creatione & mirabili operatione Dei ad creationẽ prædicãtur. Sed hanc ſententiã neque hiſtoriȩ ſcribẽdȩ lex, neq; Moſis ſtylus ferre poteſt, judicio meo: has enim partes aut nõ perſequitur Moſes, aut ita obſcurè perſequi dicendus eſt, vt videri nequeãt. Qui hiſtoricè interpretantur, hi quoque nõ planè conſentiunt. Nã alij ad totius capitis argumentũ referunt, tanquam ſi verbo creandi contineretur vniuerſum argumentum creationis; & ſtatuerent Deum creauiſſe mundum ex præexſiſtente materia: Alij ſingularem eſſe hujus verſus explicationem ſtatuunt, id eſt, doceri hoc verſu, Deum ipſius Materiæ autorem eſſe atque opificem. Prior interpretatio non ſatis conuenit cum ſtylo Moſis, cum argumento, & cum fidei analogia. Nam ſi antè materia exſtitiſſet, illud doctrinæ rueret, fideique noſtræ caput, Deum ſolum ſempiternum eſſe: & innumera quoque ἄτοπα prætereà ſequerentur. Qua de re quàm plurimi à Patribus libri conſcripti ſunt, qui hoc tempore deſiderantur: vt ex Euſebij hiſtoria Eccleſiaſtica indeà 3. libro innumeris locis conſtat, & ex libro 1. & 2. de præparatione Euangelica.

Hæc igitur materia quam Philoſophi primum ſubiectum omnis compoſitionis vocant, à Deo facta dicitur, hoc verſu: & idem confirmat circumſtantia primæ vocis, In principio. Nam etſi hujus principij variæ interpretationes afferuntur: tamen ſimpliciſſima & cũ argumento

con-

convenientissima est illa, quam Abben Hezra sequutus est: In principio, scilicet creandi. Alioqui (vt taceamus illam incommodam interpretationem Thargum Ierosolymitani, & veterum patrum, In principio, id est, in sapientia) principium hoc alij ad substantiam rerum creatarum referunt; alij ad quantitatem, In principio temporis: Et si principium vel punctulum temporis, sicut vnitas aut punctum lineæ, propriè quantitatis non est: sed reductiuè κατὰ δὲ ἀναγωγῆς, vt loquuntur Græci. Illa itaque interpretatio mihi perplacet, vt ad actionem hanc creationis vox principij referatur: qua interpretatione etiã proximè præcedens comprehenditur: quia nihil est in rebus creatis cui non adsint hæ duæ circumstantiæ, temporis & loci; è quibus temporis circumstantia reductiuè principio actionis primæ; Loci verò, cœli appellatione designatur. Est enim cœlum locus communis totius naturæ, secundùm naturæ ordinem: quemadmodum è diuerso singulis rebus locus proprius & singularis est, quem Græci appellauerunt χώραν: siue sit locus corporalis, quem circumscriptiuum vocant, siue intellectualis & spiritualis, quem definitiuum.

2 *Terra autem erat res informis & inanis, tenebræque erãt super abyssum: & Spiritus Dei incubabat aquis.*

Sequitur secũdum principium priore membro secundi versus, nempe privatio; & posteriore, tertium. Est autem priuatio (vt vulgò definiunt) vacuitas formæ in subjecto habili siue capaci: aut verò (si cui magis placet) aptitudo habilitasque ad capiendam formam. Eaque principium rerum appellatur non per se, vt materia, & forma; sed per accidens: Non rebus constituendis, sed generandis necessaria. Hanc privationem describit Moses, primùm quidem descriptione quadam partis illius quæ nos attingit proximè: Secundò autem descriptione vniversæ illius massæ quam Chaos veteres appellarunt. Pars nobis conjuncta est terra. De hac Moses privationem prædicat his

verbis, *Erat Tohu & Bohu*: quibus id ipsum significatur, quod LXX. illi Græci dixerunt, fuisse *ἀκατασκεύαστον*: aut quod Philosophi, fuisse *ἄμορφον, ἀνείδεον, ἀσχημάτιστον, ἄποιον*. Hæc priuatio est formæ, cuius tamen formæ illa materia fuit capax, vt euentus comprobauit. Atque hæc de interna & essentiali (vt ita dicamus) cōstitutione terræ, quum primùm creata est. Sequitur externa, quum dicit Moses; tenebras fuisse in superficie abyssi, id est, lucem nullam exstitisse, qua aut terra aut reliqua materia illustraretur, aut ab vllo oculo, si quis fuisset, perlustrari potuisset. Quā sententiam viderunt quidem Græci interpretes; sed malè cum præcedente membro confuderunt. Etsi hoc præterea necesse est obseruare quod anteà restrinximus: nomine abyssi non tantùm significari terram, aut quæcunque cum terra confusa sunt, sed etiam *τὸ συνέχον τοῦ παντὸς*, id est, cælum ipsum: denique quicquid bonitate & potentia Dei eo momento ad esse (vt loquuntur vulgò) productum est. Hoc verò *χάος τοῦ παντὸς* appellatur abyssus, duabus de causis: vna, quòd respectu nostri, vt cœlū quodammodo infinitum est, sic chaos infinitum fuerit, tanquam abyssus homini imperuestigabilis: altera, quòd ea ratione demonstratur istius massæ confusæ, quamuis in priuatione, habilitas ad recipiendam formam. Quamobrem à veteribus Philosophis prima illa materia *δεξαμενὴ τῶν εἰδῶν*, idest, locus vel conceptaculum formarum fuit appellata.

Restat tertium principium naturæ, quod appellatur forma: Est autem forma, quę dat essentiam, nomen, & definitionem rei compositæ: quæ quidem per se nō subsistit ipsa, sed exprimit & quasi imaginem adfert materiæ, præstatque illius demonstrationem.

De hac forma, quemadmodum in materię explicatiōne diximus, tria ordine exponuntur, Agens, Actio, & *ἀποτέλεσμα*. Nam alioqui sine agente, cùm forma per se non subsistat, nulla res futura esset. Agens dicitur Spiritus Dei: Actio, Incubatus: Forma seu opus, Disparatio.

Agens,

Agens, id eſt, Spiritus Dei variè exponitur. Nam Iudæi per Enallagen numeri Spiritū Dei interpretātur Spiritus, id eſt, Angelos; impiè creationis opus rebus creatis tribuētes. Alij Spiritum Dei exponunt conſilium voluntatémque: cùm tamen & eſſentiæ Dei & prædicationis huius ratio poſtulet, vt vnum aliquod intelligatur ὑφιστάμενον. Alij ventum intelligunt, ineptè: cùm ventus nihil aliud ſit, niſi pulſatus aër exhalationis fumoſæ multitudine, & aër eo tempore nondum fuerit diſcretus; ſed omnia tum Chaos obtinuerit. Alij eſſentiam Dei intelligunt, ineptè Dei Spiritum pro eſſentia Dei Deoque ipſo accipientes; quia Deus eſt ſpiritus. Nam Moſis temporibus, ex Spiritus ſancti ſermone, barbaries iſta non invaluerat quæ temporibus noſtris plurimùm obtinet, vt perſonæ abſtractis nominibus & paronymis appellentur. Sanctè itaque omnes pij & Orthodoxi interpretati ſunt de tertia perſona Sanctæ & individuæ Trinitatis cōſenſu vno: quæ proptereà diſcretè Spiritus Dei appellatur, tum quia æternùm inſpiratur à Patre & Filio; tum quia ſecundùm ordinem Dei ad creaturas, ea perſona eſt qua proximè terminatur Dei operatio in rebus creatis omnibus; maximè verò in Eccleſia eius, quā viuificat atque ſanctificat. Hac enim ratione Spiritus ſanctus appellatur. Commodè autem hunc Spiritum appellat Moſes Spiritum Dei, quia idem à patre & filio procedit, eſtque vnus & idem Deus vnitate eſſentię. Itaque non eo excluduntur pater & filius ab actione hac, quia Spiritui ſancto tribuitur; ſed tātùm terminus (vt ita dicamus) proximus ad creaturas ſuſtentandas in perſona Spiritus ſancti ſtatuitur: Cùm alioqui Pater & Filius ſecūdùm vnitatem eſſentiæ eamdem operationem agant per Spiritum ſanctum in rebus creatis omnibus: prout dicebat Chriſtus, Pater operatur vſque nunc & ego operor.

Nunc ad prædicatum veniamus, quo actio vel operatio Spiritus illius, & ἀποτέλεσμα vel opus continetur.

Actio describitur Metaphoricè incubādi verbo: sumta similitudine à volucribus pullitiei suæ incubantibus. Sensus igitur est Spiritum sanctum eum fuisse, cujus virtute moles illa primùm sustentata est: Deinde quasi fotu ornata suis formis, quæ posteà ordine describuntur.

Hujus fotus ἀποπλίσματι, secundùm formarum gradus, reliquo capite describuntur: Sunt autem tres in vniversum gradus.

Primus gradus est, generalis ἀποπλίσματος, qui proximè sequentibus verbis ostenditur: Secundus & tertius, ad speciale ἀποτίλισμα pertinent.

Generale ostenditur his verbis, *superficiei aquarum*: Speciale aut ad Elementorum, aut ad corporum quæ ex Elementis coagmentata sunt, constitutionem pertinet.

Generale est, quòd Deus massam illam informem, vel Chaos in duas Classes disparauit: Nempe τῶν ἀραιῶν καὶ τῶν πυκνῶν, id est, eorum quæ rara leviaque, & eorum quæ densa & gravia natura sunt.

Ad densa & grauia discernenda pertinent ea quæ Moses dicit de aquarum superficie. His enim verbis ostendit, terram aqua circumdatam & cum ea confusam, à rebus leuioribus primùm fuisse disparatam: & Spiritum S. sic esse operatum, vt etiam res illæ densę & graues per ipsum sustentatæ fuerint, & ad formas suscipiendas, de quibus pòst agitur, accommodatæ.

Aquarum autem nomine terram necessariò & synecdochicè intelligimus; quia terra ex aquis educta dicitur versu 9. ex quo conficitur aquam terra leviorem fuisse, quasi perpetuum & continens involucrum terræ, vsque dnm per eumdem Spiritum, qui rara à densis disparaverat, aqua à terra disparata est in die tertio.

3 *Dixitq; Deus, esto lux: & fuit lux.*

Post generale ἀποτίλισμα, quo res raras à densis fuisse discretas audivimus, sequitur speciale duplex: vnum, de constitutione simplicium corporum in natura, id est, Elemen-

mentorum, ad verſum vndecimum vſque.

Alterum de conſtitutione ſingularum formarum quę ex Elemẽtis ſunt compoſitæ, inde ad finem vſque capitis.

Elementa autem quũ appellamus ſimplicia corpora, intelligendum eſt nõ per ſe ſimpliciterque dici; ſed comparatè cum alijs formis, quæ ex iis compoſitæ ſunt in Natura rerum.

Speciale ἀποτέλεσμα ſimplicium corporum, quę Deus inſtituit antè quàm ſingulares ſpecies ex eis componeret, ſuo ordine à Moſe pertexitur. Quatuor autem ponuntur corpora intra extimum cæli ambitum comprehenſa, quę vulgò dicuntur Elementa. Ea tripliciter ex Moſe diſtingui neceſſe eſt, Eſſentiâ, accidentibus, & effectis.

Eſſentiam oſtendit definitio. Nam Elemẽtum eſt corpus ſimplex quodammodo, in quod cætera corpora diuiduntur, quibus facultatę ineſt; Ipſum verò in res ſpecie differentes diuidi non poteſt.

Accidẽtia quę hîc à Moſe proponũtur, aut Qualitatis, aut relationis ſunt. Ad Qualitatem pertinẽt δυνάμεις: Ad relationem ἔργα καὶ πάθη: quibus addi oportet circumſtantiam χώρας, vel τὸ ποῦ, id eſt, ipſorum vbi.

Locus autem bifariam conſideratur: tum prout eſt ſedes vniuſcujuſque Elementi: tum prout eſt ordo vnius ad alterum.

Effectus eſt ſuperioris cujuſque Elemẽti in proximum inferius: Atque hæc omnia ab effectis demonſtrat Moſes: Nam pro humano captu narrat: τὸ ὅτι; & ex eo τὸ διότι, non obſcurè indicat.

Atque hæc quidem omnia in ſingulis ordinibus percurrit quinque modis, expreſsè aut tacitè: Nempe à cauſa efficiente ſumma, ab effectu, à comprobatione, ab ordinatione, & à ſanctione omnium in naturæ lege. Itaque pro illo ordine quem generatim modò explicauimus, Moſes primùm cauſam efficiẽtem ſummam, pura mandatum Dei priore; ſecundò effectum, poſteriore membro

verſus 3.explicat: Tertiò comprobationem: quartò ordinationem in verſu 4. quintò ſanctionem naturæ legis. verſu 5.

Mādatum Dei exprimit his verbis; *Dixit Deus, eſto lux*, Cauſa igitur efficiens lucis eſt Deus pater, Filius,& Spiritus S. vt antè poſuimus: Et quidem dicens,non ſermone aliquo prolativo vel enunciativo apud res creatas ſonans, vt ſolent res corporeæ; ſed vocās imperio ſuo ea quæ non ſunt tanquam ſi eſſent,eáque producēs ad eſſe, vt loquuntur vulgò. Etſi non negamus propterea lucem ipſam,& quæ ſequuntur,per Chriſtum fuiſſe facta, tamquam ſermonem æternum Dei patris ὁμοούσιον κ̀ συναΐδιον: ſed nobis tamen non videtur firmum, ſi quis ex dicendi verbo,hoc quidem in loco,veriſſimū illud dogma de Sermone æterno Dei probare voluerit. Nam hic ſermo in tempore; Ille verò antè omnia tempora eſt: Hic ſermo ordinationis eſt:ille naturæ:hic ſermo Patris Filij & Spiritus S.eſt communis; Ille ſermo æternus æterni Patris.

Sequitur mandatum; *Eſto lux*: quo in mandato ſubjectum & prædicatum ſigillatim opus eſt obſeruare, & ad generalem illum ordinem,quem antè ſtatuimus,revocare eadem ratione quā tenet Moſes: nempe vt ab effectis, quæ proxima ſunt nobis atque notiſſima, ad cauſas tranſſcendamus. Subjectum, lux eſt: Prædicatum, vt ſit. Lux autem eſt actus ſive qualitas effecta ab igne Elementari in corpore perſpicuo,quatenus perſpicuum eſt.

Sedes aëris, id eſt, corporis Elementaris perſpicui inferior, ignis ſuperior. Eſt igitur aëris πάθος, τὸ φωτισθῆναι, quòd lucem accipit: ἔργον ſive opus, φωτίζειν, præbere lucem; idque ſecūdùm facultates vtriuſque Elementi:quia naturale ignis eſt eſſe φωτιστικόν; aëris,eſſe δεκτικὸν τοῦ φωτός. Nam optimè Damaſcenus lib. 2.cap.3.fidei Orthodoxæ: Ignis,inquit,vnum eſt ex Elemētis quatuor,leve, & quod ſuprà reliqua omnia Elementa fertur, vrens ſimul & illuſtrās:quę verba ille ex Nyſſeno cōtraxit,vt pleraq; omnia.

Atque

Atque hæc de subiecto. Prædicatum est, vt sit: id est, vt ignis disparatus ab aëre in eo operetur, & aër subjectus igni ab eo percipiat lucem cum rebus omnibus communicandam: Ex quo sequitur aëri lucem, tamquam accidens advenisse; eamque effectum esse ignis operantis in aëre, cujus subtracta minutáve operatione aër plus aut minus tenebricosus est. Sunt enim tenebrę privatio lucis, de qua suprà 2. versu, ex quo lux constituta est.

Sequitur effectus quē Moses indicat his verbis, *& fuit lux*, idest, simul atque dixit Dominus, vt è tenebris lux eluceret, res illicò effecta est. Ignis enim fuit ex mādato Dei communicans, & aër accepit communicatam ab igne lucem.

4 *Et vidit Deus lucem esse bonam; discreuitq́, Deus inter lucem & tenebras.*

Sequitur approbatio & ordinatio vers. 4. Approbatio his verbis, *vidit Deus lucem bonā esse*: Ordinatio illis; *Discreuit Deus inter lucē & tenebras*; Nā priora illa verba, vt optimè interpretatur Augustinus, perinde sonant atque si dixeris: Visum est Deo lucem esse bonā: Bonam autem non tantùm qualitate; sed etiam relatione ad rerum creatarum inter se cōmoditatem. Illud autem (vidit) prædicatur de Deo κατ' ἄνθρωπον: quemadmodū etiam in homine metaphoricè dicitur, trāslatione facta à sensibus corporeis ad animū. Homo autem videt duobus modis: Primùm enim videt in opere; quod cujusvis est: secundò, videt in mente opus, etiam antè quàm fiat; quod artificis est; sed inter visum illum (vt ita dicamus) mentalem hominis & visum Dei, discrimen illud est, quòd visus hominis passiuus est & ἐνδιάθετος, nempe qui per objecta afficitur: Visus verò Dei æternus & Essentialis est, idem quod ipse Deus; ac proinde non afficitur; sed omnia afficit. Sensus igitur est (vt verbis vtamur Augustini) Deum lucecōstituta in aëre perspicuo probauisse illud, tamquam futurum rebus creatis commune bonum: Et quod apud

se semper viderat, vt summus artifex, id eo tempore in suo opere probavisse.

Huic approbationi quartum caput subjicitur, puta de ordinatione quam fecit Deus, his verbis: *Discrevit Deus inter lucem & tenebras*: id est, fecit vt lux ista sic illustraret mundum, vt tenebræ non omninò depellerentur luce, quemadmodum in principio tenebræ eranr & privatio lucis: sed suam stationem luci, suamque tenebris assignavit. Assignavit autem secundùm tempus, & secundum locum: Quia inter lucem & tenebras jam tum cœperunt vices secundùm tempus; & mundi illius pars jam tum lucem, pars tenebras experta est. Hîc verò quæstio est, quomodo lucem & tenebras Deus antè conditum solem disterminaverit. Quam quæstionem Orthodoxi Patres solverunt duobus modis. Prior solutio est; Lucem ignis Elementaris non quidem ademtam esse igni (Nam lux proprietas ignis Essentialis est; sed receptam esse lucem illam sursum versus. i. versus ambitum cœli: ita vt illo toto tenebrarũ tempore in has inferiores partes nihil lucis transfuderit. Posterior solutio est, Deum lucem in hemisphærio vno, tenebras in altero statuisse: cúmque iam inde à principio cœlum suam conversationem in circulum habuerit, ita factum esse vt etiam citra solis ministerium lux tenebris & tenebræ luci per vices successerint. Mihi magis probatur posterior interpretatio: tùm quia nùsquam dicit Moses tenebras planè fuisse sublatas, tùm quia ex contrario ostendit non sublatas, sed disterminatas fuisse: quod discerniculum sive disterminationem, non tantùm secundùm tempus, verùm etiam secundùm locũ factam esse statuimus. Etsi non propterea necessariò concludimus, tenebras dimidiam præcisè partem obtinuisse, & luci fuisse dimidiam alteram: sed satis est judicio meo, vt partem intelligamus, quantacunque fuerit, luci, partémque tenebris deputatam. Nam si deus disterminauit inter lucẽ & tenebras, Ergo tenebras tunc fuisse dicendũ est.

5 Lucém-

5 *Lucemq; Deus vocavit diem, & tenebras vocavit noctem: sic fuit vespera, & fuit mane diei primi.*

Sequitur sanctio sive lex naturæ à Deo lata in hoc argumento, his verbis *Deus lucem illam vocavit diem, & tenebras vocauit noctem:* constituit & decreto perpetuo in Natura legem hanc posuit, vt lux & tenebræ per vices inter se succederent, nomenque suum in rebus creatis, dum stabit mundus, obtinerent. Id tamen obseruandum est, Mosen in his verbis ex Hebræorum vsu loqui ὕστερον πρότερον. Nam præcesserunt tenebræ, posteaque à Deo lux indita: hîc verò diuerso ordine lucis meminit priore loco, & posteriore, tenebrarum. In causa est conclusio sequens hujus narrationis, in qua Naturæ ordo à Mose fuit observatus. Solent enim Hebræi à propinquioribus membris incipere, & a prioribus Narrationes suas terminare ad memoriç adjumentum. His subditur Conclusio hujus operis quod die primo absolutum est; his verbis, *Ita fuit vespera & fuit matutinum diei primi:* id est, hoc fuit opus, atque hæc ratio operis quam Deus die creationis primo observavit per singula momenta ipsius: Nempe quòd tenebrarum quidem tempore sive noctis, materia in privatione formæ creata, & Elementa crasse in duas classes distributa sunt, leve & grave: altera autem diei parte, nimirum ex quo lux fuit, quòd Deus lucem creatam approbauit, stationem ipsi & tenebris ordinavit, legemque naturæ tulit de observanda hac diei & noctis vicissitudine. Nam quod Moses vesperam & matutinũ vocat, id per synecdochen est accipiendum pro toto tenebrarum & lucis tempore. Etsi non temerè synecdochen hanc hoc in loco vsurpavit Moses, & in sequentibus. Innuit enim Moses principio vtriusque temporis, noctis puta & diei, Deum opus suum condidisse prout visum est: Prætereà quodammodo ab opere novo creando interquievisse, tamquam opificem de opificio suo cognoscentem, probantem, ordinantem in bonum, & constituentem arbitratu suo.

6 *Poſteà dixit Deus, eſto expanſum inter aquas, & eſto diſterminans inter aquas & aquas.*

Quemadmodum ad operũ diei primi explicationem diximus, in hujus quoque diei enarratione, tum argumentum videndum eſt, tum ſeries argumẽti. Argumentum eſt de Elemẽto aëris aquas ſuperiores ab inferioribus diſpeſcente: Ac propterea de Elemento aëris hoc loco agendum eſt ſecundùm Eſſentiam, Accidentia, & effecta illius.

Modus verò & ſeries explicandi hujus argumẽti nobis eſt obſeruanda. Nam primò cauſam efficientem exponit 6. verſu; Secũdò opus effectum, in parte verſus 7. tum ordinationem, ſub finem verſus 7. Poſtremò ſanctionem & naturæ legem, 8. verſu.

Effectus duplex ponitur, aeris extenſio, & aquarum per aerem diſterminatio: Accidentia item ſecundùm ſedem, paſſionem, actionem, & qualitates horum Elementorum percipiuntur: Eſſentia ex definitione intelligenda eſt. Eſt igitur aer Elementum ſubtile, humidum, & calidum, igne gravius, aqua & terrra levius, reſpirationis & ſonorum cauſa, à natura colore vacuus; trium ſenſuum, puta viſus, auditus, & olfactus, adminiſtrum: caloris, frigoris, ſiccitatis, humiditatis capax; infeſtum motibus quibuſlibet ſecundùm locum, à ſe non habens lumen, ſed ab igne; locum per ſe obtinens, & alijs Elementis præbens quæ citeriora ſunt cœlo, puta ſuperiorem igni, inferiorem aquæ & terræ, & formis quæ inſunt in eis.

Accidentia ſunt potentia, actio, paſſio, & ſedes illius. Quemadmodum autem ſuperius ſede Elementum, tanquam potentius, agere in inferiore proximo antè docuimus, ita hoc loco fit: Nam ſecundùm ſedem aer ſuperius eſt aquâ Elementum, aqua inferius; ac proinde pathos ſive perpeſſio aquæ eſt τὸ διακριθῆναι, quòd diſterminetur:

Aeris

aëris opus contrà est τὸ διακρίνειν secundùm facultates ipsorum. Nam propria facultas aeris est ἡ τόπων διάκρισις, quòd loca discernit in circũstantibus Elementis: Passivè quidẽ, respectu ignis agentis in aere; activè autem, aquæ respectu quæ ab aere agitur, prout Moses hoc loco explicat. Ex his sequitur, effectum duplicem in hac narratione exponi: vnum, quòd aer expansus fuit, qui priùs in materia illa informi sic fuit confusus, vt planè aer dici non potuerit: alterum, quòd hac distentione & diductione, sive (vt Physicorum modo loquamur) subtiliatione aeris, postea ex mandato Dei idem aer distentus egit in Elemento liquido aquæ, eamque dispescuit in duas sedes ordinarias.

Hujus rei totius causa efficiens est Deus vnus & trinus; qui dicto, id est, mandato suo effecit vtrumque illud quod modò dicebamus.

Ac propterea Moses in Narratione hujus mãdati duo membra seorsim complectitur, prout ordine à Deo facta sunt; & quidem, opinione mea, secundùm duas illas diei partes quas Deus antè statuerat: Ita vt prius membrum exstiterit de nocte, posterius de die. Prius membrum est aeris diductio, cujus mandatum his verbis continetur: *Esto expansum inter aquas*. Sensus est, quandoquidem jam primo die æther constitutus est, id est superior hæc aeris regio à reliqua materia informi sic disterminata est, vt jam vi ignis perlustretur: idem quoque (inquit Deus) nobis faciendum est secundo die in inferiore aeris regione seu rebus inferioribus: vt aer quoque distendatur versus illam alteram mundi partem, qua distentione res quoque inferiores commodè percipiant lucem ab igne secum per aerem mediatè communicatam. Alterum membrum est aquarum disparatio & disterminatio: cujus mandatum continetur his verbis: *Et esto disterminans inter aquas & aquas*, id est, vnas & alteras,

has & illas. Sensus est, quemadmodum Elemento aëris, quia vtramque naturam participat, proximi superioris & inferioris Elemēti, duæ regiones attributæ sunt; vna, qua ministrat superiori Elemēto; altera quæ inferius Elementum temperat: Sic etiam agente & operante aëre proximum inferius Elemētum duabus regionibus discludi necesse est; quarum vna superior aquæ regio appelletur; altera inferior, vt superior aquæ regio versus Elementum aquæ ab aëre temperetur, inferiorem verò Elementum aquæ, id est, terram sibi subjectam temperet.

Atque hoc de duobus tantùm Elementis medianis dicitur, non autem de extimis, puta igne & terra: quia nihil Elementare superius est igne, cui obsequatur: terrâ nihil inferius, cui imperet. Mediana verò duo, nempe aër & aqua, pro ratione Elementorum sibi conjunctorum sese contemperant.

7 *Itaque fecit Deus expansum illud, & disterminavit inter has aquas quæ sunt versus inferiorem partem expansi, & illas aquas quæ sunt superiorem expansi versus: & fuit ita.*

Post efficientis causæ & mādati explicationem sequitur effectus Narratio, duobus primis membris versus 7. est enim tricolos. Aëris diductio, priore membro; aquarum posteriore exponitur.

Diductionem aëris factam Moses narrat his verbis, *Itaque fecit Deus expansum illud*: id est, aërem inferiorē illum qui antè fuit confusus quasi eliquavit, & distendit ad inferiorum rerum, quas creaturus erat, commoditatem. Posterius de aquarum diductione his verbis, *disterminavit* nimirum Deus *inter has aquas quæ sunt versus inferiorem partem expansi & aquas illas quæ sunt versus superiorem partem expansi.* Quæ res vt meliùs intelligatur, singula verba expendamus. Primùm ergo istud disterminare perinde sonat ac si dixeris, liquando & subtiliando rem vnam ab altera disparare, qua ratione aquam (vt ita dicamus) subtiliat

iliat aër. Secundò non temerè appellat Moses aquas quæ sunt partem inferiorẽ expansi versus: Nec dicit aquas quæ sunt in parte inferiore, sed partem inferiorem versus: habens rationem aquarũ, prout jam Naturæ ordine constitutæ sunt. Nũc enim aquæ inferiores non obtinent totã superficiẽ à parte inferiore expansi, id est, nõ tangunt vniversam terram; sed inde à die tertio ita discretæ sunt vt versus partem inferiorem sint, sed non obtineant totam. Tertiò eadem ratione dicuntur illæ quæ sunt versus superiorem expansi partem, id est, non quæ sint in summo expanso, aut totam illam sedem occupent; sed tantùm quæ sunt versus illam partem.

Ac propptereà toto cœlo errant, qui aquas ita distinctas volunt, vt præter has quæ sub cœlo Lunæ sunt, alias supra firmamentum collocent: Quæ opinio profecta est ex incommoda Hebrææ vocis *Rakiah* interpretatione, & vocis Græcæ στερέωμα sive firmamentum. Nam Hebræa nihil aliud quàm spatium expansum significat: Græca nihil aliud quàm firmam constitutionem, qua aquæ in vnum veluti corpus coagmentatæ sunt & quasi Cataractis disclusæ, ne in has terras ferantur præcipites. Quæ significatio non satis commodè firmamenti voce à Latinis designatur. Nõ posse autem cõstare illam interpretationem de aquis suprà firmamentum positis ostẽdimus primùm argumento, secundò vocibus, & verbis evidẽtissimis quæ hoc loco à Mose adducuntur. Argumẽto; quia ipse ordo operum quem servavit Deus, rem aliter flagitat intelligi. Nam à cœlo & extimo hujus naturę vel vniversitatis ambitu, venit Moses ad ignis & aeris constitutionem, primo die: Secundo, quasi paulatim descendat Dominus, venit ad aëris & aquæ constitutionem: tertio, ad cõstitutionem aquæ & terræ. Qui ordo nisi servetur, non tantùm oblitteratur luculentissimum vestigium Providentiæ & sapientiæ Dei; sed ipsa quoque Narratio ita involvitur, vt vix possit percipi vlla doctrina firma ex hac narratione tota:

quemadmodum exemplum Orthodoxorum quorumdam Patrum qui in hoc argumento plus satis luserunt, demonstrat manifestò. Verba & orationem Mosis illi interpretationi quoque adversari his modis ostendimus. Primùm quòd neque in mandato, neque in effectu ipsius, fit vlla mentio cœli; sed in octavo demum versu: vbi cœlum ὁμωνύμως accipi sive æquivocè, ostendit evidentissimè versus 1. cum 8. comparatio. Nam si idem cœlum esset, non fuisset Moses dicturus Deum creavisse cœlum illud primo die? aut vicissim non fuisset secundo dicturus Deum fecisse expansum illud quod appellatur cœlum.

Secundò, verba Mosis non significare aquas vllas quæ supra cœlum vel firmamentum sint, nemo non visurus est qui ad has voces attenderit quibus expansum statuitur inter aquas, non autem cœlum illud materiale cujus fit mentio in die primo: tùm quòd expansum illud dicitur esse discerniculum vel disterminatio aquarum. Nam si hę infrà, illę suprà materiale cœlum essent, diceretur nō hoc expansum, sed cœlum illud primo die creatum disterminare inter aquas inferiores & superiores. Præterea demōstratur id ipsum illis verbis, *Distinxit inter has aquas quæ ab inferiore expansi parte sunt, & aquas*, &c. Nam si hæ aquæ à parte inferiore expansi dicuntur esse, continuò sequitur hac loquutione non contineri eas quæ pendent in aëre: E diverso autem si aquæ superiores sunt partem expansi superiorē versus, omnino sequitur, non igitur esse suprà cœlum. Nam expāsum suprà cœlum esse nusquam in sacris scripturis dicitur. Ac propterea tādem sancti Patres quū se ex his difficultatibus emergere non posse animadverterent, nescio quas spiritales aquas somniarunt, id est, euerterunt totius historiæ de creatione fidem. Restat vt duo prætereà observemus. Prius est quæ fuerit & sit adhuc causa efficiens istius ordinationis: Secundum, quæ

conuenientia hujus interpretationis cum doctrina Physiologica. Causa efficiens hujus constitutionis aëris cum aquis est decretum Dei, mediatè has res ad esse (vt vulgò loquuntur) producentis, & quo etiamnum sustentantur: sed mediatè, duobus modis.

Nam à die secundo ad quartum, hæc constitutio mediatè obtinuit vi ignis agentis in aëre, & aquas efferentis atque sustinentis: posteà verò à die creationis quarto, vi corporum cœlestium & motus ipsorum instrumentaliter. Quomodo autem hæc cum Physiologica doctrina conveniant, paucis demonstrabimus.

Expansum (vt Moses appellat) duplex est, Æther & Aër, id est, superius expansum & inferius. Vtriusque expansi, sive regionis quæ suprà nos est hinc ad cœlum vsque, termini sunt bini; exterior & citerior. Ætheris regio exterior est cœlo summo continens inde ab orbe Lunæ: Citerior regio est, quam Physici in rebus Meteorologicis supremam dixerunt, nempe inde à Luna ad mediam aëris regionem vsque. Similiterque aëris duplex est terminus, quibus terminis concluduntur duæ regiones aëris, media, & infima. Nec obstat huic distinctioni communis illa Physicorum, treis aëris regiones esse, summam, mediam, infimam. Nam aliud est vniversitatem vniversè spectare, aliud vniversitatis partem. Nos autem hoc loco vniversè illam spectamus: Illi verò quum treis regiones statuunt, respiciunt tantùm ad partem istius vniversitatis vel potiùs expansi, nempe eam solùm in qua fiunt meteora; quæ pars orbe Lunæ citerior est multò. Optimè igitur conveniunt omnia.

Tertius locus, nimirum operis comprobatio, duobus nominibus hîc omittitur: primùm quòd in vniversa hac Elementorũ constitutione id satis Mosi visum est, si principio & fini illius cõstitutionis Elementorũ testimonium

20

apponeret comprobationis qua Deus vsus est: Ac propterea de luce enunciavit approbationem à Deo factam, versu 4. & vniversam Elementorum constitutionem obsignat eadem approbatione, in fine versus 10. Secundò approbationem hanc reticuisse videtur Moses, quia nondum satis absolutum esse videbatur quod ad hujus inferioris regionis dispositionem pertinebat. Sequitur quartus locus, nempe ordinatio: quam paucis Moses his verbis complectitur, *Et fuit ita:* id est, res illa quam semel Deus mandaverat momentoque eodem produxerat, ita constitit per voluntatem Dei.

8 *Vocavitque Deus expansum istud cælum: sic fuit vespera, & fuit mane diei secundi.*

Restat postremus locus octavo versu, quem sanctionem esse naturæ legis demonstravimus: Hanc Moses exponit his verbis, *vocavit Deus expansum istud cælum.* Nam vocandi verbo (vt diximus) non simplex rei nominatio, sed ordinata constitutio & conservatio rei creatæ ostenditur, quam Deus solo verbo potente præstat. Hîc verò duo observanda sunt. Prius est, appellatione expāsi communiter quidem intelligi totum illud spatium quod à terra, veluti centro, ad cœlum vsque velut ambitum extimum vniversitatis, protenditur. Hîc verò synecdochicè, de ea solum parte accipi oportere quæ à superiore aeris regione ad terram pertinet. Posterius, cœli appellationem esse ὁμώνυμον. Neque enim hîc idem intelligi oportere quod supra versu 1. vt certis rationibus antè ostendimus; sed tantùm eam aëris partem quam modò dicebamus. Hujusmodi autem æquivocatio non solùm Hebręis, verum etiam Græcis & Latinis recepta est qui discriminis ergô plerunque non simpliciter cœlum, sed Hoc cœlum propterea appellaverū, vt hoc ab illo, id est, superiore distinguerent. His subjicitur demum conclusio operis quod secundo die effecit Deus: sed nos illius interpretationem in finem versus 5. jam antè tradidimus.

Cic. li. 2. de Natura Deorum. Plin. lib. 2. cap. 38. nat. histor.

9 Post

9 *Post dixit Deus, Rectà confluant aquæ istæ quæ sub cælo sunt in locum vnũ & conspicua sit arida: & fuit ita.*

Sequitur tertius & vltimus locus ad constitutionem Elementorum pertinens: in quo explicando eumdem ordinem teneri necesse est quem in superioribus demonstravimus. Nam primò Elementum agens, & ipsius actio sive effectus in proximo inferiore: secundò ordo totius Narrationis observandus est. Elementum agens est aqua: quo Elemento in terram incumbente, hic orbis habitabilis sapientiâ summa & ordine compositissimo distinctus est. In terra autem eadem quoque necesse est observari, quæ in superioribus ostendimus, Essentiam, Accidentia, & effecta ipsius. Effectus est, primùm terram ab aqua distingui, & quasi in segmenta certa dividi: secundò, Partem illius commodari habitationi, quà conspicua facta est. Sede, terra inferior est, aqua superior. Est terræ πάθος seu Passio, quòd per aquam dividitur, & ab ea suis in locis nudata est: Aquæ actio, quòd terram ex parte proluit, eamq́ue ex parte deserit, vt incolis capiendis sit commoda; idque secundùm facultates horum Elementorum: terra enim firma est rerum corporearum sedes; aqua verò terram dispescit, humectat, & alit facultate sua. Atque hæc omnia disertè mandato Dei continentur. Nam primùm aquam in stationes quasdam distributam esse, & ad eas indefinitè ferri tanquam ad suum perpendiculum aggeremq́ue, præcepit Deus his verbis, *Rectà confluant aquæ*, &c.

Deinde à terra ex parte quadam discedere, eamq́ue pro domicilio rebus corporeis, quas Deus erat creaturus, relinquere demonstrat illis, *Et sit arida.* Ac proinde hoc vno decreto Deus & de ornatu terræ, & de ratione domicilij hujus nostri & commoditate prospexit, antè quàm quicquam aliud creatum esset. Hîc verò, vt ad ordinẽ veniamus, Moses ab instituto ordine non quidem discedit, sed quædã omittit; quia in hac narratione, prout his versibus cõtexta est, ex antecedẽtibus & consequentibus fa-

cilè intelliguntur ea: proinde primùm quidem causam efficientem narrat, mandatum Dei, priore parte versus 9. secundò effecta, posteriore: tertiò sanctionem vel naturæ legem, priore membro versus 10. quartò approbationem, posteriore illius. De decreto satis. Effectus verò planus est.

10 *Aridam itaque Deus vocavit terram, & congregationem aquarum vocavit maria: & vidit Deus id esse bonum.*

In sanctione, vel naturæ lege ferenda, id solùm observandum est, duas illas partes de quibus antè diximus, ὕστερον πρότερον à Mose narrari. Nam priùs aquæ locus, quàm terræ superficies cõspicua attributa est: hîc autem Moses priùs de terræ conspectu, pòst de aquarum dispositione & disterminatione loquitur; idque sylleptice ex Hebræorum vsu: vt intelligamus singulis aquarum collectionibus impositam fuisse Maris appellationem. Sic enim Hebræi quamvis aquarum collectionem (si modò πρός τι vel per comparationem magna sit) appellant mare: vt 1. Reg. 8. 8. quemadmodum Græci quoque & Latini nonnumquam vsi sunt, Nicander, Virgilius, Plinius.

Tertius locus ad constitutionem aquæ & terræ pertinens, nimirum approbatio, his verbis continetur: *Et vidit Deus id esse bonum:* quod genus approbationis suprà in versum 3. explicavimus. Duæ verò quæstiones in hunc locum incidunt: Prior est, cur Moses approbationem postremo loco posuerit, contrà quàm fecit in superioribus: Posterior, cur quartam illam partem, puta ordinationem, omiserit.

Ad priorem hæc responsio est: hæc approbatio non hujus tantùm operis est quod die tertio effecit Deus, verum etiam superioris quod die secundo inceperat, & tertio demum fuit absolutum: ac propterea necesse fuit

fuit ad finem hujus narrationis attexi, non autem in narrationē mediā inferri approbationem. Ad posteriorē hæc responsio est, Illam Dei ordinationem quæ in superioribus narrationibus posita est, synecdochicè contineri illa sanctione vel naturæ lege quam Moses descripsit his verbis, *Vocavit Deus aquam, terram*: Atque hæc de simplicibus corporibus sive Elementis, quæ in hac rerum natura appellantur.

11 *Posteà dixit Deus, producat terra herbam teneram, herbam sementantem semen, arborem fructiferam edentem fructum in speciem suam, in qua suum sit semen super terram: & fuit ita.*

Expositis naturæ totius & hujus vniversitatis principiis, itemque Elementis & constitutione ipsorum, sequitur Narratio ad finem vsque capitis de creatione corporum compositorum, quæ ex Materia & forma coagmentata sunt; cùm individuorum quæ carent propagatione; tùm eorum quæ propagatione in species diffusa sunt. Ac primùm quidem in corporibus compositis creatio rerum inanimarum exponitur ad versum vsque 20. deinde animatarum, ad finem capitis. Ex quibus priora posterioribus ministraverunt creationis lege, eoque antè à Deo fuerunt condita.

Inanimarum rerum genera ponuntur duo, & opere bidui distinguuntur. Nam primùm gignentia terræ creata fuisse dicuntur, hoc & sequente versu: deinde lumina cœlestia, versu 14. & sequenti. Quorum omnium finis summus est testificatio gloriæ Dei: propinquiores fines duo; vnus communis, nempe ornatus vniversitatis: alter proprius, rerum animatarum vsus atque commoditas. Deinceps verò accuratè quinque illæ partes, quas antè tradidimus distinctèque à Mose non observantur; sed tres solùm in vnaquaque narratione exponuntur; nimirum causa efficiens, effectus, & approbatio. Nam ordinatione individuorum non fuit opus, cum

ea sint ambulatoria atque erratica, & cùm sua ipsorum natura, tum alieno facto commutentur: Sanctio verò eo prætermittitur, quòd ex antecedẽtibus facilè potuit colligi, & omnino comprehenditur approbatione, vt in præcedentem versum docuimus.

Hîc ergo tria observanda sunt: causa efficiens, versu 11. Effectus ejus, & approbatio, versu 12. Causa efficiens summa est *Deus*, decreto suo: secunda & instrumentalis est terra, de qua dicitur, *producat terra*, &c. In hoc autem decreto nō solùm agens mediatè ex decreto Dei, nimirum terra, observanda est; verùm etiam illius actio, nempè quòd jubetur terra producere. Ac proinde non adversatur Moses communi doctrinę Physiologicorū, qui omnia individua ex Elementis statuunt esse composita: sed in generatione solùm vel productione rerum istarum præcipuas partes attribuit terræ, tanquam communi rerum istarum matri; cùm tamen terra materiam earum non ex se propriè ac solùm dederit, sed ex superioribus etiam Elementis, id est, agentibus in terra, conceperit. Sensus igitur est, materiam cùm ab alijs Elementis subministratam, tùm à terra simul in cōceptu collatā, fuisse quasi fœtum in terræ vtero, & momento vno ad mandatum Dei terram concepta cætera peperisse. Horum autem partuum, quos terra edidit, tres classes à Mose statuuntur: Prima, est *herbarum*: Secunda, *graminum* in caules, scapos, culmos, ferulas ascendentium: Tertia, *arborum* & arbustorum.

Herba significatur nomine Hebræo *Desche*, quasi superficiem & summam terræ cutem viriditate vestiēs: Secundi generis nomen est *Heseb*, quasi dicas facientem vel efferentem culmum, id est, stirpescentem sive caulescentem: Tertium nomen arboris tum de grandioribus est intelligendum, tum de humilioribus, quæ arbusta vocant.

His tribus generibus potentia duplex pro natura ipsorum tribuitur: vna est, quòd *sementant semen*, id est, ex se ipsis

ipsis proferunt quicquid necessarium est ad ejusdem speciei propagationem per individua: vt sunt semina, radices, taleæ, stolones, &c. Nam hæc omnia apud Hebræos continentur seminis appellatione. Altera potentia est, quòd fructum arbores dicuntur afferre ad vtilitatem, quę posteà sub finem capitis exponitur. Huic potentiæ subjicitur actus vnus ad illud tẽpus necessarius: nempe quòd eo tempore ad commoditatem victus futurorũ animalium imperat Deus, vt jamjam ex facto arbores fructum proferant. Sic enim disertis verbis Deus potentiam & actum distinxit decreto suo: potentiam significans his verbis, *Arborem fructus*, id est, fructiferam: Actum illis, *Facientem fructum*, id est, quæ jam ex facto fructum proferat animantibus futuris necessarium. Postremus locus est de fine, cujus causa semen à plantis afferri voluit Deus: quem finem hac voce indicat, *In speciem suam*; & sequentibus explicat, dicens: *Cuius semen sit in ipsa super terram*. Vulgò quidem loquutionẽ illam, *In speciem suam*, aliter interpretantur plerique omnes; nempe secundùm speciem suam: Sed huic interpretationẽ alterã anteponimus multis nominibus: in primis autem tùm quia species illarum plantarum nondum erant, sed tum demum cœperunt in suis individuis subsistere: tùm quia individua illa πρωτόκλιστα revera primæ fuerunt substantiæ in creatione, quæ ad species suas creatæ sunt, & constituendas in seipsis, & propagandas aliorum consimilium generatione: Atque hoc confirmat Exegesis sequens, quum ait Dominus, *Cuius semen in ea sit super terram*: id est, quod individuum etsi per se non est constiturum diu, tamen in semine suo constet permaneatque super terram, productis individuis consimilibus ex semine; vt omnia suis matricibus à natura insunt materia & potentia ipsarum. Alioquinon fuisset in tota hac narratione rerum creatarum, vlla mentio propagationis ad plantarum genus pertinens: quæ tamen in hoc ipso genere tam est necessaria, quàm in alijs operibus

diei quinti aut sexti, quibus lex propagationis à Deo imperata est.

Sequitur secundus locus de effectu: quem effectum primùm quidem generatim Moses enunciat in fine versus 11. his verbis: *Et fuit ita*: deinde speciatim sequente versu.

12 *Itaque produxit terra herbam teneram, herbam sementantem semen in speciem suam, & arborem edentem fructum, in qua semen suum est, in speciem suam: & vidit Deus id esse bonum.*

Hæc specialis descriptio effectus antecedentis: nempe ad mandatum Dei terram, velut decreti ipsius administram & causam efficientem, sed instrumentalem, produxisse genera illa quæ antè dicta sunt, herbas teneras, gramina, & arbores, adjectis ipsarũ facultatibus, id est, seminis ad propagationem, & fructus ad alimentum; adeóque fructum ipsum ad animantiũ vtilitatem in eis fuisse comparatum: & singulis semen fuisse ad eum finem inditum, vt propagationi esset ad conservandam speciem ipsius. Id enim Moses hoc in versu explicat evidentiùs, quum bis ita loquitur; *sementantem semen in speciem suam*; Et, *cuius semen in ipsa sit in speciem suam.*

Restat tertius locus de approbatione istorum operum: nempe quòd terræ facies emicuit, & plantis obvestita est; *Et vidit Deus id esse bonum*. Sed hanc approbationem jam antè exposuimus in versum 4.

13 *Sic fuit vespera & fuit mane diei tertij.*

Postremò conclusio operis hoc die consummati exponitur in hoc versu: ita fuisse traductum tempus noctis & lucis in die tertio: id est, tempus noctis fuisse occupatum in superficie terræ ab aquis liberanda; tempus autem lucis in plantis è terra efferendis mandato Dei: prout singulorum dierum opera bina esse antè ostendimus.

14 *Post dixit Deus, sunto luminaria in expanso cœli ad distinguendum inter diem & noctem: quæ sint in signa & tempestatibus, & diebus, & annis.*

Sequitur narratio diei quarti: in quam ante quàm ingredimur, quæstio vna nobis est explicāda: Cur Deus terram hanc priùs vestiverit, quàm cœlum exornaverit? Hujus quæstionis duplex solutio est: vna, sic ordinem in rebus agendis postulavisse: Altera, sic flagitasse Providentiæ divinæ testificationem. Ordinem sic postulavisse docet rerum omnium antecedentium comparatio. Nam Deus materia vniversitatis creata, leviora Elemēta veluti eliquans primo die, in illorum constitutione sese occupavit in regione summa: secundo paulatim quasi descendēs ad aëris & aquæ dispositionem: tertio autem ad terræ ordinationem & ornatum venit, tanquam si Deus humanitus, artifex sapientissimus, à summis ad ima descendisset. Iam verò ante quàm ad summa reverteretur, in terra necesse fuit ea constitui, quæ ad cultum ipsius pertinebāt, & futurorum animantium commodum. Sed altera causa plurimùm observanda est: nempe quòd Deus hoc pacto omnipotentem suam providentiam tanta necessitatis vi testificatus est, vt optimè à Psalte dicatur, Deum ex ore *Psalm. 8.* lactentium & sugentium, id est, tenellarum quarumque creaturarum fundavisse laudem suam. Hoc enim pacto prout Deus in hoc tempore non solùm mediatè, verùm immediatè, adde etiam supra & contra media, potest omnia quæ vult & dicit; ita se posse demonstravit, ante quàm ea media complevisset: quibus alioqui in re Physica omnes antecedentes effectiones tribuuntur. Nam Deus gravia à levibus disparavit, lucem distinxit à tenebris, aquas divisit, terræ speciem & ornatum indidit, ante quàm ea media essent in natura rerum, quibus hæ omnes effectiones in philosophia naturali tribuuntur. Nam si quis roget physicū vnde tempus, lux, nubiumque exhalatio, elata aquarū sedes, distinctio terræ, & ornatus

vniverſè & particulariter procedant: omnino reſponſurus eſt hæc omnia à cœleſtium corporum natura, potentia & motu proficiſci: Nempe quia hæc inde à die quarto inſtrumenta fuerunt à Deo poſita ad naturæ hujus conſtitutionem.

Quod igitur ante inſtrumenta hæc Deus res illas conſtituerat & conſervaverat, id certè luculentiſſimum eſt documentum providentiæ Dei ſapientiſſimæ, infinitæque potentiæ, etiam citra media vel inſtrumenta vlla voluntatem ſuam conſiliumque conſummantis. Nunc ad rem ipſam veniamus.

In hac igitur narratione tria membra opus eſt obſervari: Decretum, velut cauſam efficientem, verſu 14. & ſequente: Effectum decreti illius, verſu 16. & 17. & parte 18. verſus: Ac poſtremò approbationem, cui tacitè legis naturalis ſanctio conjuncta eſt, altera parte verſus 18.

In decreto vnus & idem Deus author eſſe dicitur; Ac primùm quidem rei natura & ſedes deſcribitur, quam Deus in die quarto formatam voluit, deinde effectùs & vſus illius. Rei naturam, quam Deus imperat, oſtendit appellatio *Luminaris*. Nam hac ratione Eſſentia eorum corporum deſignatur, quæ Deus die creationis quarto dicitur condidiſſe. Cùm autem luminare & lumen nomina conjugata ſint, ac lumen quidem (vt antè oſtendimus in diei primi explicatione) ſit proprietas Eſſentialis vel proprius effectus ignis Elementaris: Luminare verò nihil aliud ſit quàm luminis conceptaculum atque inſtrumentum: ex eo ſequitur luminaria propriè appellari hoc loco ignea illa inſtrumenta, vehicula & cōceptacula, & quaſdam veluti faces ſeu lampadas, quæ à Deo cōſtitutæ ſunt maximo rerum creatarum commodo, vt poſteà commonſtratur evidentiſſimè.

Ad hujus autem vocis definitionem, duæ quæſtiones vulgò afferuntur. Prior eſt, vtrùm ſit ignis Elementaris in illis luminaribus, an verò circumfuſi ignis Elementaris

αἰά-

ἀνάκλασις: Posterior, vtrùm luminaria corpora quædam materiata habeant quibus ignem Elementarem possint concipere. Ad vtrumque eadem gradatione respondebimus, quam in explicando lucis argumento tenuimus.

De priore igitur ita statuimus, Deum quidem primo creationis die ex circumfuso igne Elemẽtari lucem rebus inferioribus immisisse: sed quia his rebus conservandis, alendis, augendísque non tantùm ex vsu erat futurum vt lucis & tenebrarum vicissitudo esset; verũ etiam vt temporum vices quæ ad rerum conservationem sunt opus, instituerentur; hæ autem vices non fuissent futuræ, si ignis toto orbe circumfusus permansisset, ac non vires suas per certa instrumenta & quasi canales cum his rebus inferioribus communicavisset: propterea visum esse domino luminaria hęc instituere, quę (vt Basilius vocat) essent ignis Elementaris ὀχήματα vehiculaque. Etsi hîc rursum distinctio adhiberi potest: nempe totam quidem substantiam ignis Elementaris non esse in illis luminaribus repositam, & à reliquo orbe quasi subductam; sed tamen primùm in his luminaribus tantum ignis Elemẽtaris exsistere, quantum Deus vidit expedire: Secundò ignem qui extra hæc luminaria est, prout sursum à natura fertur, vires omneis suas ad hæc instrumenta quæ ipsi assignavit Deus, omnino conferre, vt per illa instrumenta in hisce inferioribus operetur. Itaque quod Philosophorum alij voluerunt ignem in illis instrumentis esse, vt Plato; Alij non ignem esse, sed ignis ἀνάκλασιν sine repercussum, eo quòd ignis Elementaris corpora illa (vt volunt) solida efficiens, repercussum suum ad nos transmittat objectorum illorum corporum soliditate: Illud facilè conciliari potest, si ita accipiamus, quicquid ignis habent in se hæc luminaria, id nobis lucere per se, effectáque sua prodere; quicquid ignis extrà est, id per eadem luminaria ad nos effecta sua transmittere quadam ἀνακλάσει. Sed hîc altera quæstio subsequitur; si datur ἀνάκλασις, ergo luminaria illa corporibus

ſolidis conſtare neceſſe eſt. Quamobrem Ariſtoteles ea corpora ſphæras eſſe dicit ex quinto corpore.

De hac quæſtione liberum cuivis judicium permitto; ſed tamen quemadmodum lux non eſt corpus, ſed potentia & effectus ignis; Ita etiam luminare poteſt dici non eſſe corpus quod concipiat ignem Elementarem; quia ignis Elementaris per ſe ſubſiſtit: & poteſt ignis Elementaris illis cancellis à Deo circumclusus eſſe ſine alio corpore, quo circumcludatur; quia vt à parte inferiore circumcluditur aëre ſic à ſuperiore, cœlo circumcluditur: ac proinde non eſt neceſſe aliquam ſubſtantiam determinare in his luminaribus, in qua ignis Elementaris per hæc velut inſtrumenta oſtendat efficacitatem ſuam.

His luminaribus ſecundò, ſedes attribuitur illis verbis, *in expanſo cœli*, id eſt, in ſumma illa regione quæ ab orbe Lunæ (nam hic citimus eſt omnium) ad orbem cœli pertinet, hanc vniverſitatem ſuo complexu continentis. Hîc verò nihil neceſſe eſt vt de vario horum luminarium ſitu, de orbibus, aut rebus alijs diſſeramus; quia Moſes generatim dixit eſſe in expanſo cœli, & oſtendit hoc non ad θεολογικὴν, ſed ad μετεωρολογικὴν cognitionem neceſſarium eſſe. At nos curioſam illam interpretationem Aſtronomis relinquimus. Id tantùm obſervandum, luminaria in expanſo cœli fuiſſe poſita; quia ex ea ſtatione commodiùs effectiones illorum ad nos & inferiora omnia perferuntur.

Actiones ſive effecta (hic enim tertius eſt locus) tria à Moſe proponuntur, quæ præſtituit Deus: 1. eſt ordo diei & noctis: 2. temporum & affectionum, quæ ſingulis temporibus exſiſtunt, ſignificatio, hoc verſu: 3. Lucis communicatio, verſu ſequente.

Primus effectus his verbis oſtenditur, *ad diſtinguendum inter diem & noctem*: qui nihil obſcuritatis habet. In ſecundo effectu plus difficultatis eſt. Nam primùm verba Moſis varias accipiunt interpretationes: deinde, res ipſa plu-

plurimùm controvertitur hominum opinionibus. Verba ſic interpretantur plerique, vt ſint in ſigna & in tempora ſive tempeſtates, & in dies & annos: hæc autem interpretatio neque accẽtuum rationi, neque naturæ veritati convenit. Accentuum rationi non convenit: quia ſi ita fuiſſet mens Moſis, poſitùs fuiſſet accentus Paſchta in voce illa, *quæ ſint*; non autem in ſequẽte: quia proprium eſt accentus, vt illud ipſum membrum ſeu vocabulum hic accentus afficiat, quod poſteà ad variam conſtructionem transferendum eſt.

Naturæ non convenit, quia revera illa ipſa luminaria nõ ſunt in tempeſtates, dies, & annos: ac proinde verbum illud, *ſunt*, vno modo accipiendũ eſt; vt non dicamus vno, *ſint in ſigna*, & altero modo in ſequentibus. Nam Luminaria reipſa ſigna ſunt, ſed non tempeſtates: Signa igitur ſunt rerum quas ſignificant. Significant autem hæc dies, tempeſtates, & annos. Quamobrem nobis placet hæc altera interpretatio; *Sint in ſigna & tempeſtatibus, & diebus, & annis*. Atque hæc de vocum interpretatione.

Ad argumẽtum quod attinet, tria ſunt interpretationis capita, quæ huic appellationi ſignorum in hac cauſa attribui ſolent. Primum eſt, de quo inter omneis convenit, eſſe ſigna effectionum quæ in rerum natura ſtatæ ſunt ſecundùm vices & converſationem ipſorum. ac proinde ſigna ſunt non tantùm abſolutè, vt ſuarũ effectionũ ſigna; verùm etiam relatè, quà tempeſtates deſignãt, id eſt, ver, Æſtatem, Autumnũ, Hiemem: Dies deſignãt, ſive mẽſes, qui itẽ ex diebus cõſtant; quemadmodũ novilunio, plenilunio, & alijs dierũ obſervationibus oſtẽditur: tũ etiã annorũ ſigna ſunt, quos Sol, Luna, & alia quoq; ſigna inde à principio diſterminaverũt. Quẽadmodũ etiã apud Chaldæos, & Iudæos, annos Lunæ ex ſolis ratione cõiuncta cõſtituerũt: nempe in hunc modum, vt 350. dies Lunari anno, & 360. Solari tribuantur: His in Menſes quoſdam finémve anni erant dies ἐπαγόμενοι 5. vnde aſſurgebant 365.

Poſtremò autem pro ratione ſolis quod ſupereſt, id juſto quoque anno intercalaretur.

Secundum eſt interpretationis caput, quòd hæc luminaria non tantùm res ſtatas, temporaque ſignificant: verùm etiam affectiones & mutationes quæ illis temporibus accidunt. Atque hæc quidem illa ſignificant, non ſolùm Eſſentiâ ſuâ, verùm etiam actione & motu: Motu inquam, tùm abſolutè conſiderato, tùm etiam relatè ad ſigna alia cum alijs inter ſe. Abſolutè, vt ſi longinqua, propinqua tractui noſtro, ſupera, infera nobis ſint ſingula: Comparatè verò ſivè relatè, per conjunctiones ipſorum inter ſe, diſceſſus, oppoſitiones ſive reſpectus, & ſi qua ſunt ejuſmodi: Sed hoc tantùm in rebus naturalibus, non autem voluntariis ſtatuitur. Tertium igitur reſtat interpretationis caput, de ijs quæ ex voluntate pendent, non autem ex rebus naturalibus; non ex qualitatibus & effectionibus ſignorũ, ſed ex animantium quæ voluntariè agunt, & in primis hominum placito: itemque de ijs rebus, quæ ex voluntate aut adminiſtratione voluntatis alienæ pendent. Hanc interpretationem qui volunt Moſi attexere, ij laborant maximè, vt loquutionem hanc, *ſint in ſigna*, eodem accommodent. Dum autem hæc ſigna cœleſtia res voluntarias moderari putant, plurimùm falluntur. Nam etſi eorum ſignorum adminiſtratio etiam corpora voluntariorum animantium afficit, quà humorum temperamentis prædita ſunt; non tamen ſequitur ijs voluntatem affici aut mentem, quia voluntas à mente agitur in homine; in aliis autem movetur ſenſibus, & ſenſus objectis. Deinde certum eſt ex verbo Dei, hæc ſigna cœleſtia earum rerum ſigna eſſe, quarum cauſæ efficientes & inſtrumentales ſunt. Non ſunt autem hæc cauſæ efficientes aut præcipuæ, aut inſtrumentales earum rerum quæ voluntate reguntur: proindè ſi quando ſigna erunt earum rerum quæ voluntate aguntur, jam non ſunt dicẽda ſigna ſecundùm creationis legem de qua hîc agitur; ſed

extraordinariè ſigna ſunt & miraculosè. Rerum autem miraculoſarum non eſt ſcientia: Continuò igitur corruit tota illa judiciaria aſtrologia.

Præterea non tantùm id à Spiritu S. non dicitur; ſed (quod amplius eſt) diſertè interdicitur Ieremię 10. & Iſaias propheta aliquot capitibus ludificatur graviſſimè totam illam Chaldæorum ſcientiam, quæ mater fuit Iudiciariæ iſtius Aſtrologiæ.

Poſtremò tùm cauſæ, ordo, eventaque rerum vanitatem iſtius interpretationis oſtēdunt, tùm Orthodoxi patres ſanctiſſimè eam labefactaverunt vel vnico Iacobi & Eſaui exemplo, quod à Baſilio, Ambroſio, Auguſtino, & alijs adducitur. Stat igitur ſententia hæc: Signa cœleſtia hunc ſecundum vſum obtinere, vt ſigna ſint non modò ſtatarum tempeſtatum; verùm etiam eorum eventorum quæ per tempeſtates accidunt; ſed non eorum quæ à voluntate pendent animantium, multò minus eorum quæ pendent à voluntate arcana Dei; niſi Deus miraculosè illis vtatur ſignis: quo quidem modo ſigna ſunt non ex creationis lege ordinaria, ſed extraordinario miraculo.

15 *Sintq́ in luminaria in expanſo cœli ad præbendum lucem ſuper terram: & fuit ita.*

Sequitur tertius vſus verſu 15. nempe vt ſint in luminaria, poſita quidem & ſedem habentia in expanſo cœli; ſed vim & efficacitatem ſuam in terram diffundentia, lucem præbendo illi. Qui vſus obſcuritate caret. Sequitur effectus: qui primùm quidem generatim proponitur in fine 15. verſus, *Et fuit ita:* Deinde minutatim exponitur duobus ſequentibus. Nam & genera luminarium diſtinguuntur verſu 16. & vſus effectaque illorum repetuntur verſu 17. & 18.

16 *Itaque fecit Deus luminaria duo maxima: luminare maius ad præfecturam Diei, & luminare minus, ad præfecturam noctis, ſtellasq́.*

Genera ponuntur duo, quæ Deus mandato ſuo feciſſe

dicitur. Nam alia majora dicuntur luminaria, alia minora. Majora quum dicuntur, non est illud propriè referendum ad quantitatem οὐσίας seu Essentiæ; sed effectionum & vsus ad has res inferiores pertinentis: Quemadmodum videmus à Poëtis Solem oculum terræ appellatum esse.

Præterea altera accedit ratio: quòd Spiritus S. in his rebus loquitur populariter sive δοξαστικῶς, id est, non vt res sunt, sed vt videntur esse. Nam prout est locorum intervallum; ita solet acies oculorum nostrorum hebescere; & res, quamvis per se majores, tamen alijs quæ propinquiores sunt videri minores: adeò visus noster ex intervallo (vt Basilius loquitur) ἀμβλυώττει.

Majorum numerus statuitur à Mose, dicendo: *duo luminaria magna*; & quia potuissent subtiliores naturę vestigatores de hujus sermonis interpretatione controvertere, circumscribit ea luminaria Moses, singulari circumscriptione per relationem ipsorum inter se, & effectorum singularium. Relatio fit, quùm alterum majus luminare; alterum minus dicitur: Effectorum fit declaratio, quum majus dicit factum esse, vt præ sit diei: Minus verò, vt præsit nocti: videlicet quod non tantùm re & specie minus est; sed etiam eò minus, quòd à Sole fœnerat lucem. Minora vnica voce à Mose nominantur *stellæ*: quæ interdiu quidem non compârent propter lucem Solis: de nocte verò videntur Lunæ quasi comites esse: qua de causa à Phœnicibus Luna, regina cœli appellabatur, vt ex Ieremia 44. constat, & Eusebio libro 1. de præparatione Euangelica. vnde est insignis locus intelligendus apud Herodianum lib. 1. quum ait Lunam à Phœnicibus ἀστροάρχην appellari.

17 *Et posuit ea Deus in expanso cœli; vt lucem præbeant super terram:*

18 *Præsintq́, diei & nocti, & distinguant inter lucem & tenebras: & vidit Deus id esse bonum.*

19 *Sic fuit vespera, & fuit mane diei quarti.*

Se-

Sequuntur effecta versu 17. & 18. Ea autem de industria duo tantùm numerantur ὕστερον πρότερον, omisso illo mediano vsu de significatione: quia visum est Spiritui sancto ea demum effecta repetere quæ necessaria sunt; medium illud, veluti consequentiæ, ac non necessitatis, omittere. Prior vsus, est lucis, versu 17. posterior, distinctionis inter diem & noctem. Hæc quia perspicua sunt, ad approbationem venturi sumus. Ea continetur secundo membro versus 18. & complectitur sanctionem naturæ legis, quæ est de eorum instrumentorum constitutione, operatione, vsu, & si qua sunt ejusmodi ad naturæ ordinem pertinentia.

Postquam biduo primo Elementorum constitutio facta est, alteroque biduo formæ inanimatæ in cœlo & terra conditæ; vltimo demum biduo animatæ formæ à Deo creatæ sunt, quod reliquo capite explicatur. Formarũ animatarũ sive animantium genera primùm quidẽ ponenda sũt duo ἀντιδιῃρημένα: quòd alia sint rationis expertia, alia ratione prędita: quorum prius genus ad versum 26. vsque. Posterius versu 26. & sequente exponitur. Deinde verò communes quædam feruntur naturæ leges, ad finem capitis vsque. Eorum autem quæ rationis sunt expertia species secundùm ortum, vel potiùs conditionem & conversationem ipsarum describuntur tres: prima, aquatilium: Secunda, volatilium: tertia, terrestrium sive in terra repentium.

De aquatilibus & volatilibus in opere diei quinti; de terrestribus verò, tum rationis expertibus, tum ratione præditis, in opere diei sexti narratio instituta est.

In narratione diei quinti quatuor partes ponendę sunt, 1. Decreti tanquam efficientis causæ, versu 20. 2. Effecti ex eo decreto consequuti, versu 21. maxima parte illius: 3. approbationis, reliquo versu 21: 4. sanctionis & naturę legis ad speciei conservationem, versu 22.

Atque hæc postrema pars accedit pręter eas quę in pro-

ximè præcedentis bidui narratione positæ sunt, quia species illæ sunt inanimæ, hæ verò animatæ: ac proinde has formas primùm alloquutus dicitur Dominus, legem propagationis naturalis ferens.

20 *Post dixit Deus, abunde producant aquæ reptilem animantem: & volucris volet supra terram in superficie expansi cælorum.*

Decreti autorem ostendit Moses, dicens, *Dixit Deus*: decreti verò summam proponit reliquo versu 20. cujus duę sunt partes, pro ratione subjectorum sive operum quę Deus operatus est in die quinto. Prior pars est de aquatilibus, priore membro: Posterior, de volucribus, altero.

De aquatilibus, natura sive Essentia ipsorum, ortus, & sedes in hoc decreto prædicantur. Naturam sive Essentiam ostendunt genus & differentia. Genus est, *anima viuens*, quod nomen generis in sequente membro non repetitur, quia hoc communiter ad vtrumque membrũ pertinet. Est enim vtrumque anima vivens, id est, animal, περιφερικῶς.

Species est, *Scheretz*, quam vocem Græcè interpretari possumus νηκτὰ natatilia. Ortum demõstrant hæc; *Exundent aquæ*; Nam etsi (vt antè diximus) alia Elementa suas partes contulerunt ad harum formarum cõstitutionem; aqua tamen hoc in loco, tamquam mater, vtero suo profundens hanc speciem, intelligenda est; quemadmodum jam de terra diximus in herbarum procreatione. Hanc verò natatilium procreationem commodissimè ostẽdit Moses, *Exundent*, verbo, sive *abunde producant*: quia hæc species circumfluit maximè & commodissimè lentore & humiditate sua, profunditque copiosissimè, & (vt Plinij via mur verbis) ludit maximè natura in aquę Elemento & luxuriatur. Ex eo consequitur sedes: nempe, quòd aquæ tãquam matri suæ adhærent, & in gremio illius versantur natatilia.

De volucribus nõ ita facilis est explicatio Nam natura qui-

quidem volucrium & sedes, ex verbis Mosis, & sensu ipso facilè cognoscitur; sed ortus non item. Quia enim hoc versu mandatum aquis dedisse narratur Deus, vt piscibus exundarent; plerique omnes sic interpretati sunt hoc posterius membrum, vt ex antecedente pendeat: tanquam si aquis imperavisset Deus vt volucres profunderent. Sed hæc interpretatio primùm non potest ex hoc versu, aut verbis Mosis confirmari: Secundò convellitur ex Mosis ipsius sermone, versu 19. cap. sequentis. Ex his verbis minimè confirmatur, quia non dicit, *Et aquæ exundent volucribus, quæ volent super terram*; sed tantùm, *Et volucris volet super terram*. Convellitur autem disertis verbis capite 2. quum ait Moses, *Formaverat Deus è terra omnem bestiam agri, & omnem volucrem cæli*. Accedit ratio, quòd quemadmodum ex ortu judicamus de singulorũ animantium sede; sic etiam diverso ordine ex sede animantium de ortu illorum judicandum est. Est autem sedes terra: Terra igitur (vt Moses cap. 2. dicit) volucrium est mater. Quod si ex aquis volucres fluxisse dandum esset, potiùs ex aquis superioribus dicturus essem quàm ex inferioribus. verumtamen neutrum placet. Atque hanc nostram interpretationem ipsa Mosis verba hoc loco videntur ostendere, si benè expendantur. Non enim illa verba simpliciter interpretanda sunt; *volucris volet super terram*: sed in hunc modum potiùs: *volucris evolet super terram*: id est emergens è terra, & quasi rumpens claustra vteri illius prodeat in cœlum liberum volatura.

Nunc ergo primùm de natura sive essentia, tum de sede volucrium videamus paucis. Naturam circumscribit Moses genere & differentia: Genere, quod ex antecedente membro repetendum est: Differentiâ, quòd est volans: cujus differentiæ à potentia naturali ejus actionem sive effectionem Deus adjicit his verbis: *Evolet super terram in superficie expansi cœlorum*: Sic transit Moses ad sedis volucrium communis interpretationem. Sedes vel locus vo-

lucrium est duplex: vna, est tanquam basis in qua commodè quiescunt, vt cætera animantia, nimirum terra: Altera est aër, in quo plurimùm versantur, sed cum motu & actione; ac proinde non possunt in eo loco diu & continenter subsistere; sed aliæ plus temporis, aliæ minus. Id autem obscurum videtur, quia dicit Deus volucres volaturas in superficie expansi cœlorum: sed hæc difficultas duobus modis solvitur. vnus est, si expansi cœlorum superficies duplex statuatur; vna citerior & nobis proxima; altera exterior & cœlo summo contermina. Posterior modus est, & quidem longè facilior, si Hebræam vocem superficiei interpretemur prospectum, id est, liberum illud spatium quod nobis est ante oculos, & quod volucres volatu permeant, provt oculis nostris videmus. Hanc interpretationem probamus maximè omnium. Etsi non sequitur ex eo, volucres suo volatu totum illud spatium permeare quod inter cœlum & terram intercedit: sed hoc dicitur synecdochicè, quemadmodum etiam novimus in rebus logicis singulis partes eorum corporum quæ ὁμοιομερῆ vel similaria appellantur, totius appellationem obtinere.

21 *Itaque creavit Deus cete immania: & omne animal reptile, quo exundaverunt aquæ in species suas, omnemq; volucrem alatam in species suas, & vidit Deus id esse bonum.*

Sequitur effectus versu 21. vbi speciatim narrat Moses à Deo fuisse creatas, id est, magnificè procreatas eas species animantium, de quibus modò dictum est, vnico decreto suo. Sed quia in priore maximè genere monstra sunt vastitate & varietate maxima, in quibus (vt antè dicebamus) natura lusisse videtur; propterea speciatim mirificum illud genus anguineorum animantium, quæ Græci κητώδεις appellant, à Deo procreari tradit, tanquam miraculosa in primis potentiæ divinæ

in

in rebus creatis opera, ad quorum aspectum mens humana obstupescit: vt elegantissimè describitur in libro Iob.cap 40.

Hoc genere speciatim posito, ad prævertendam hominum infidelitatem, & Dei potentiam asserendam; Moses demum duas illas species quæ in decreto positæ sunt generatim repetit: sed ita tamen, vt præter genus & quidem καθόλȣ dictum, *omnem animam viventem*, duas species illas per suas differentias percurrat; Primùm quidem ratione Essentiæ ipsarum, vt quum pisces repentes, volucres alites appellantur: secundò ab ortu, qui in priore genere expressus, in posteriore reticetur brevitatis ergô. Postremò à fine creationis illius; quòd hæc ipsa animantia, quum primùm viderunt lucem, constituta sunt ad speciei suæ propagationem. Sequitur locus tertius, approbatio, sed eadem cum præcedentibus.

22 *Et benedixit illis Deus, dicendo: Fœtificate, & augescite, & implete aquas per maria, & volucris augescat in terra.*

23 *Sic fuit vespera & fuit manè, diei quinti.*

Sanctio legis naturalis ad propagationem speciei hoc versu 22. ostenditur: primùm quidem summatim, posita illius causa; deinde enumeratis partibus ad propagationem hanc pertinentibus.

Causa propagationis est in natura rerum, decretum Dei, & benedictio, id est implantatio naturalis in animantibus istis efficacitatis illius quæ ad propagationem opus est. Causa itaque est decretum Dei, & benedictio ex decreto. Partes illius benedictionis altero membro versus exponuntur ab effectis, & consequentibus: Effecta benedictionis duo sunt, quæ Deus imperat & indit imperio suo. vnus est fructificationis, id est, propagationis secundùm generationem vnius ex altero. Alter est multiplicationis,

id est, propagationis ejusmodi qua non vnum tantùm individuum ex vno, sed multa progignantur. Nam in vtroque hoc maximè genere fœcunditatem à Deo tantam fuisse inditam res ipsa loquitur, vt nemo homo ignorare possit.

Consequens horum illud est, quod à Mose adjicitur de piscium maximè genere, *Implete aquas per maria*: qua loquutione ostēdit Dominus, se & benedictionem in hoc genus contulisse, & certis locis ac conceptaculis benedictionis & fertilitatis illius vsum conclusisse: Quemadmodum in piscinis videmus alias educationi & propagationi esse commodas, alias educationi solùm. Atque hæc quidem de aquatilibus distinctè posita sunt: de volucribus non item: sed ex vno verbo reliqua intelligenda sunt.

24 *Post dixit Deus, producat terra animantes in species suas, iumentum & reptile, & bestiam terræ in speciem suam: & fuit ita.*

Quemadmodum constituto hujus vniversitatis domicilio, quum partes illius fuerunt instructæ ijs rebus quæ ad necessitatem, commoditatem, & ornatum fuerunt opus, ostendimus Deum quinto demùm die aëri & aquis suos incolas tradidisse (nam ignis incolis caret, & ἔρημον αἰθέρα vocat Pindarus) nunc demùm terræ quoque incolæ in die sexto dicuntur conditi, atque in ea collocati. Horum autem duo sunt genera. Nam aliæ sunt terrestres animantes rationis expertes, de quibus versu 24. & 25. aliæ verò præditæ ratione, de quibus versu 26. & duobus sequentibus.

Narratio de brutis, tribus membris concluditur; decreto, velut efficiente causa, effectu, & approbatione: Decretum Dei priore mēbro versus 24. continetur, in quo summatim eadem 3. capita comprehenduntur quæ antè observavimus: Ortus, formæ, & naturæ lex de formarū propagatione. Ortus est à Deo, tanquam summâ & primariâ efficiente causâ: ab Elementis tanquam materiali; à terrâ deni-

denique tanquam matre, quæ ex suo vtero sequentes species profuderit. Quā rem optimè exprimit Moses Emittendi verbo, vt terram instrumentalem causam, ac non materialem solùm esse ostēderet. Quemadmodum quotidiana quoque experientia in multis insectis demōstrat, & in Ægypto quotannis fieri Herodotus, Diodorus Siculus, & alij narrant.

Formarum terrestrium quæ rationis sunt expertes Essentia describitur duobus modis; genere, & differentia. Genus commune omnium est, animal. Differētia triplex: Nam distinguntur in tria genera. Primum est jumentorum, id est, animalium domesticorum, mansuetorúmque: Secundum, reptilium, quæ summa tellure (vt verbis Columellæ vtamur) natare videntur: Tertium, ferarum, quæ à consortio hominis naturâ abstinent & seorsim degunt. Atque hæc terrestrium animalium distinctio in vulgus recepta est. Videntur tamen Hebrææ voces, & maximè prima & postrema, non satis eam distinctionem significare; quia vtraque ex communi vsu videtur magis esse generis latioris, quàm angustioris nomen, & quod vis animal significare.

Solutio est; vtrumque nomen dicitur homonymως: Nam & lata est, & angusta pro ratione locorum vtriusque significatio: quam rem paucis explanabimus. Hoc vtrumque nomen modò absolutè, modò relatè accipiendum est. Absolutè nomen prius, *Behema*, brutum quodlibet quod in terra versatur: Nomen verò posterius, *Chaia*, omne vivens significat. Horum verò vocabulorum significatio secundùm relationem vel comparationem institutam, expressis, aut tacitis verbis, intelligitur. Ac proinde nomen prius, sive expresè sive tacitè fiat comparatio, restringitur ad cicures & mansuetas animantes: imò de speciali individuo liberè prædicatur; vt genus de specie, hæc verò de individuo prædicari solet. Nominis verò alterius ratio diversa est. Nam primùm omnes animantes

brutæ dicuntur & nomine per comparationem hominis, quia sibi tantùm vivunt, & ad vitam præsentem solummodò spectant. Secundò, etiam angustiùs nominantur bestiæ sive feræ, quia seorsim à consortio humano vivunt. Postremò autem hoc nomen generis, aut speciei, individuo cuique (vt de præcedente diximus) liberè tribuitur. Hîc autem instituit Moses comparationem: Ergo comparatè hæ voces sunt intelligendæ; & nomen prius ad jumenta; posterius verò ad feras accommodandum est. Lex naturæ inest huic voci, *In speciem ipsius*, quæ antè fuit exposita.

25 *Fecit itaque Deus bestiam terræ in speciem suam, & jumentum in speciem suam, & omne reptile terræ in speciem suam: & vidit Deus id esse bonum.*

Effectus antecedentis decreti duobus modis narratur, generatim sub finem versus 24. *Et fuit ita*, & speciatim, 25. versu. sed ita tamen vt in illa repetitione, versus 25. Moses afferat Dei operationem, tanquam principis causæ, Elementis omnibus ad materiam, & terra speciatim ad procreationem vtentis: quod demonstrant verba hæc, *fecit itaque Deus*. Specialis autem enumeratio terrestrium animantium, quæ ratione carent, eadem adhibetur quæ præcedente versu; quamvis diverso ordine; & lex procreationis adjungitur. Diversi autem illius ordinis causa videtur esse hæc, quòd Deus de industria contrà humanam vanitatem voluit affirmare, nihil tam exiguum in rebus creatis esse aut abjectum, vel fuisse vnquam, quod non sit opus manuum ipsius appellandum. Quapropter adhibita est particula καθόλȣ in reptilium mentione, quæ alioqui multas species habent tenuissimas & abjectissimas, vsum videntur habere nullum, & magis corruptionis quàm naturæ, magis abortus quàm partus videntur esse. Hæc igitur tolluntur vniversali prædicatione: *Omne reptile terræ in speciem ipsius*: quemadmodum & sequenti versu nominatim, & quasi

extra ordinem, idem membrum repetitur,& homini jus futurũ in quodvis reptile pronunciatur; quod jus Deus vt creator habuit, & tanquã Dominus in genus humanum transtulit. Sequitur approbatio: quam quia in superioribus explicavimus, hoc loco à repetitione supersedebimus. Atque hæc de operibus quæ priore sexti diei parte creavit Dominus.

26 *Post dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram, qui dominetur in pisces maris, & volucres cæli, & in iumenta, & in vniversam terram, & in omne reptile quod reptat super terram.*

Sequitur alterum genus, nempe de animante ratione prædito, cujus creatio 2. versibus, propagatio versu 28. enarratur. In loco autem de creatione hominis, tres partes observandæ sunt, vt in proximè præcedente membro: decretũ, versu 26. Effectus, versu 27. & approbatio deniq; ex consequente, puta benedictione Dei, versu 28. Atque hic quidem locus de creatione hominis posteà *ἀνηγματικῶς* ampliùs exponitur 2. capite. Sed nos in hujus loci explicatione pressè vestigijs authoris hærebimus.

Primùm itaque decretũ, quod dicendi verbo significatur, sic exponitur à Mose versu 26. vt de authore, & de substantia illius decreti sigillatim videndũ sit. Authorem hujus decreti esse Deum verba Mosis testantur, & agnoscunt omnes: sed quia ex modo decreti, quum Deus pronunciavisse dicitur, *Faciamus hominem*, aliquid varium ab antecedẽtibus in hoc decreto videtur esse: triplex nata est interpretatio. Prima est, Deũ pronunciavisse decretũ istud, sed *κατ' οὐσίαν* citra personarũ in vnitate essentię contẽplatione: Quod autẽ dicitur, *Faciamus*, illud honoris causa fuisse dictũ. Secunda, dictũ vel decretũ esse Dei secundùm relationẽ accipiendũ: putà vt decretũ sit vnius personæ alias personas suo modo & ineffabili cõpellantis, in vnitate Essẽtiæ Dei. Quòd si qua persona est quę fuerit author hujus

decreti cum alijs duabus personis, quæ in vnitate essentiæ divinæ sunt, communicandi; eam esse personam patris, qui (tanquam autor & fons rerum omnium) hoc decretum Filio & Spiritui Sancto exposuerit, atque dixerit, *Faciamus.*

Tertia, esse vniuscujusque personæ decretum istud, ita vt pater cum Filio & Spiritu S. Filius cum patre & Sp. S. & Spiritus S. denique cum patre & filio vsus sit hac decreti communicatione.

Primam interpretationem optimè S. Patres & firmissimis argumentis refellerunt: quibus vnum illud adjiciemus ex proprietate Hebrææ linguæ, vt antè in versum 1. promisimus: nunquam apud Hebræos quemquam de se loqui plurali numero, & ejus rei nullum exemplum exstare in vllo homine, quamvis ambitiosissimo, neque in Deo ipso. Quam rem non solùm ex observatione nostra cõfirmamus, verùm etiam ex cõfessione ipsius Abben-Hezræ quam extorquet veritas in hunc ipsum locum. Quapropter Iudæi vi veritatis fracti sermonem hunc alij cum Angelis, alij cum Elementis, alij cum animantibus, tãquam administris, à Deo fuisse habitum tradiderunt. Maluerũt enim illi Dei gloriam in res creatas transferre, quàm Deo gloriam tribuere, personarum distinctionem in vnitate Essentiæ divinæ agnoscentes.

Restant interpretationes duæ, quarum vtraque à sanctis viris in Ecclesia Dei allata est: nempe hunc sermonem esse aut vnius personæ ad duas alias, aut vniuscujusque personæ. Sermonem esse vniuscujusque personæ sensit inter alios Cyrillus lib. 1. contra Iulianum Apostatam his verbis: *Quibus dixit Deus, faciamus hominem, &c. An non ratiocinabitur quis, quòd ipsa ad se ipsam sancta & consubstantialis Trinitas hos de his rebus sermones habet, quòd hominis formatio non sit absque consilio facta?* Paulò pòst: *Dixerit enim fortè quis statim alteri: non sicut tu putas & sapiendum iudicas, proprio verbo & Sp. S. loquutus est pater, sed dijs aliis qui*

cum eò sunt inferioribus & minoribus. Postremò, explicat mentem suam his verbis. *Quòd si è diverso quis suspicaretur, & diceret factum quidem esse hominem secundùm imaginem Filij: at non item Patris: Prævidens Moses, [illegible] fore quosdam sic nugaturos, ipsam dixit sanctam Trinitatem sibi ipsi loquutam esse, Faciamus, &c. vt ad totam intelligatur formatus ineffabilem naturam Deitatis, putà νοητῶς, id est,* (vt vertit interpres) *mentaliter.* In hac sententia fuit Cyrillus, quia putavit nomen *Elohim,* id est, Dei, ibidem hoc loco accipiendum, vt in cæteris narrationibus hujus argumenti: reliqua autem narratio ad creationem pertinens, Patrem, Filium, & Spiritum S. intelligit hac Dei appellatione: Igitur eodem modo hîc Patrem, Filium, & Spiritũ S. intelligi oportere. Etsi illud argumentum nonnullis hoc loco infirmum videtur esse: quia id quidem verum est, nomine Dei in hoc argumento, Patrem, Filium, & Spiritum S. intelligi, quia opus agitur ad extrà, vt loquuntur vulgò: sed duplex tamen cautio adhibenda est: vna, vt prædicatio hæc tum demùm ita accipiatur; quum Deus nominatur citra relationem, id est, distinctionem personarum in vnitate Essentiæ divinæ subsistentium. Exempli causa, quum Moses dicit versu 2. Spiritum Dei incubuisse superficiei aquarùm, ibi relatio vt constituatur necesse est: Est enim Spiritus S. spiritus Patris & Filij. Altera cautio est, quòd non videtur hoc loco Deus in opus ad extrà (vt loquuntur) incumbere; sed quasi præcedens consilium inire, & servare ordinem non externum ad creaturas, sed ordinem internum inter personas. Atque hinc factum est, vt apud plerosque patres & in concilijs altera sententia pervicerit & obtinuerit; nempe hunc esse sermonem personæ vnius solùm ad duas alias cõsubstantiales in sancta Trinitate; & quia ordo inter personas primus est, Patris, tanquam authoris & fontis omnium; propterea hũc sermonem esse patris ad filium & ad Spiritum S. Quamobrem exstat Anathema apud Socratem lib. 2. hist. Eccles.

cap.30. vbi de sententia Synodi Sirmiensis contra Photinum sic à Marco Arethusio perscriptum est, εἴτις τὸ ποιήσωμεν ἄνθρωπον, μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγοι, ἀλλὰ αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν τὸν θεὸν εἰρηκέναι, ἀνάθεμα ἔστω: id est, Si quis hunc sermonem, Faciamus hominem, dixerit non patrem ad filium, sed Deum ipsum ad se ipsum dixisse, anathema esto: Quid ergo? An Cyrillus ex eo Anathema futurus est? Minimè omnium. Nam Cyrillus non dicit id quod à synodo damnatur, nempe Deum ipsum sibi ipsi hæc verba dicere, putà, citra respectum personarum; quod impium & ἄθεον est: sed hoc voluit Cyrillus, Patrem, Filio, & Spiritui S. hæc dixisse, filiumque vicissim patri & Spiritui S. & Spiritum sanctum consimiliter: ac proinde & idem Cyrillus dicit quod synodus, & dicit amplius. Omnino autē Christianum hominem dicere necesse est quod dicit synodus: quòd si quis cum Cyrillo amplius quid dixerit, nō tamen idcirco impius futurus est. Etsi, vt dicam quod sentio, mihi quidem probatur vtraque interpretatio, quia pietatem habet; sed tamen synodalem ante pono, quia magis cōvenit illa interpretatio cū ordine qui est inter personas Deitatis: quæ sunt quidem consubstantiales in sancta Trinitate; sed pro ratione personarum, ordinem personarum (vt ita dicamus) in consubstantialitate servant. Est autem ordo, vt pater sit author & fons, quemadmodum ipsius filij, sic etiam consiliorum omnium quæ cùm filio & Spiritu Sancto communia habet: Quapropter magis videtur congruere ordini, si hunc sermonem Patri attribuamus, & ad Filium spiritumque S. fuisse habitum confiteamur. Nam licet in verbis Arethusij nulla fiat Sp.S. mentio: tamen non est dubiū, quin ἀναλόγως intelligi eū oporteat: Quòd autem filij tātùm eo in loco meminit, id eo factum est, quòd de persona Filij contra Photinum agebatur, qui Iesum Christum filium Dei sermonem esse volebat Dei patris προφορικόν. Vnum fortasse obstare videbitur, quòd nomē *Elohim* plurale de personis

plu-

pluribus in vnitate Essentiæ enunciandum est, non autem de persona vna: ac proinde videtur hæc vox de tribus potiùs personis quàm de vna interpretanda esse. Responsio est; vt demus illam interpretationem nominis *Elohim* propriam esse; id non impedire quo minùs etiam illud nomen Essentiæ ad demonstrandum personarum Divinarum τὸ ἀχώριστον figuratè dicatur de persona vna; idque ea figura, quam in prædicationibus de persona Christi Scriptura plurimùm vsurpat, quam figuram vocavit Damasc. ἀντίδοσιν. Nam vt hîc plurale *Elohim* de persona patris, sic etiam de filio disertis verbis, psalmo 45. versu 7. & de ipso patre versu 3. dicitur. Deus igitur pater Filio & spiritui S. tanquam author & fons creationis, dixisse legitur: dixisse autem non temporaliter, nam etiam dixisset mutabiliter: non instrumentaliter, nam Deus apud se, & vnaquæque persona Trinitatis in Trinitate non agit instrumentaliter, quia spiritus est. Deus ergo dixisse intelligendus est, id est, decretum suum de homine creando secundùm divinam illam œconomiam, quæ est inter personas Trinitatis sanctæ, prout ab æterno illud ipsum decreverat, justo tempore ad effectum produxisse quadam specie communicationis humanitus: non quòd nova fuerit aliqua inter personas communicatio, sed quod visum est Deo humanitus, aptitudinem hujus sui operis quasi certo & præmeditato consilio suscepti hac ratione humana ostendere; quemadmodum optimè Cyrillus interpretatur lib. 2. contra Iulianum. Dixit ergo Deus pater νοητῶς, modo ineffabili, quum hominem ad esse (vt loquuntur) esset producturus: id est, dixit persona patris personæ filij & spiritus S. nam etiam persona vna alteri loquitur spirituali modo & ineffabili, & de altera loquitur: quãdoquidem quicquid est essentiæ, idem quoque est personæ, præter quàm ea quæ ad relationem & distinctionem personarum pertinent.

Iam ad decretum veniamus: Decreti membra duo

sunt ponenda, Actio, & opus. Actionem decernit Deus verbo, *Faciamus*; opus circumscribit reliquis. Actionem, cujus fons est pater in creatione operum omnium, esse trium personarum & totius Deitatis ostendit verbum, *faciamus*. Nam hoc loquendi modo Deus pater, qui Essentiam cum Filio & Spiritu S. communicat, ostendit se etiam communicare operationes, quia Pater, Filius, & Spiritus S. vnum sunt. Vnum autem esse ampliùs demõstrat illo prædicationis modo, *ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram*. Nam quòd plurium imago dicitur, eo pluralitas; quòd autem vna species ad plurium imaginem, & quidem vnam imaginem facta fuisse dicitur; eo vnitas ostenditur. Opus verò de cujus creatione hoc decretum factum est, tribus modis à Mose circumscribitur: Genere, quum dixit *hominem*; differentia, quum ait, *ad imaginem nostram*: proprio denique quum dicit, *qui dominentur in pisces maris*, &c. Genus quum dicimus, ita accipimus vt multis locis Aristoteles & Logici omnes, quia species ratione individui ab illis quoque appellatur genus,

Sive ergo genus, sive speciem dixeris, ponitur *homo*, nomen hoc loco non individui, sed speciei. Nam primus quidem homo è terra nomen habuit Adam; sed hîc non agi simpliciter de illo primo homine, verùm de specie ostendunt sequentia, hoc versu, *Qui dominentur in pisces*, &c. tum sequente versu, *Marem & fœminam creavit eos*, & versu 28. *Et dixit illis Deus*. Differentia est hæc, quòd homo factus dicitur *ad imaginem Dei, secundùm similitudinẽ ipsius*. Quæ verba varias habuerunt interpretationes. Nam alij in genere de imagine Deitatis intelligunt citra rationem personarum: Alij de Filio, qui imago patris appellatur: alij imaginem quidem de filio, similitudinem verò de Spiritu sancto interpretati sunt: Alij deniq; propter imaginis homonymum hanc prædicationem de homine frigidè acceperunt, vt posteà explicabimus. Vt autem singula

gula hæc ordine intelligantur, primùm de imagine aliquid dicendum est. Nomen imago est homonymum; quemadmodum etiam nomen typi, exempli, & alia ejusmodi. Nam imago aut est id ad quod, vel ad cujus exemplum aliud fit, vel est; aut est id quod ad aliud fit. Priore significatione plerique hoc loco imaginem & similitudinem interpretati sunt: quam imaginem docendi causa Essentialem dicturi sumus, sive ἀρχέτυπον. Ex hac significatione imaginis tres interpretationes natæ sunt. Prima Essentialem imaginem Deitatis, quæ est ipsa Deitas, his verbis significari: Secunda, imaginem Christi, id est, Christum ipsum, qui est imago Dei Patris: Tertia, Imaginem filij & Spiritus S. id est, Filium & Spiritum S. ipsum. Omnium sententia in eo convenit, quod archetypon & forma ipsa ex qua hominis differentia adumbrata est, dicitur sumta à similitudine Deitatis: Discrepat, quòd alij imaginem ad se (vt loquuntur) id est, simpliciter atque absolutè: alij relativè accipi voluerunt. Relativè accipi non satis convenit cum verbis Mosis, vt optimè monet August. lib. I. de Trinitate. Omnium igitur harum interpretationum ea est commodissima, qua intelligitur homo ad Deitatis imaginem similitudinemq; factus, quod Augustinus vel quisquis autor fuit libri de Fide ad Petrum paucis verbis explicat: Vna est, inquit, sanctæ Trinitatis essentialiter Divinitas, & imago ad quam factus est homo: Et Hilarius libro 5. de Trinitate: Homo fit ad communem imaginem: nomen non discrepat, materia non differt; vna est enim, ad quam homo creatus est, species. Altera significatio imaginis, nempe quæ ad aliquid vel secundùm aliquid fieri dicitur, varias item progenuit significationes. Prima Iudæorum est, qui nomine imaginis intelligunt typum aliquem, quem Deus tanquam figulus præparaverit vt ex eo hominem conderet. Quæ interpretatio est ridicula, & narrationi secũdi capitis adversatur.

Secunda interpretatio eorum est qui imaginem Dei

volunt accipi de humanitate Christi, quam Deus æterno suo consilio præfiniverit, & imaginem quasi πρωτότυπον humani generis esse voluerit: Argutè id quidem, sed tamen contra veritatem: quia (vt optimè notat Augustinus) non dicit Deus, Faciamus hominem secundùm imaginem meam, id est, Christum, aut secundùm imaginem humanitatis Christi; sed dicit, secundùm imaginem nostram, de pluribus personis ac non de vna sermonem habens. Tertia interpretatio ex Platonis dogmate profecta est, de qua Cyrillus libro 2. contra Iulianum copiosissimè: nempe imaginem Dei appellari Ideam quasi præformatam in Deo ab æterno: sed hoc quoque non satis convenit veritati historiæ, & non obscurè à Mose refellitur, cap. 4.

Restat igitur, vt quid sit hoc loco imago Dei videamus. Quid sit imago Dei, duobus modis definiri necesse est. Primùm definitione nominis, deinde rei. Nominis definitionem Moses ipse adfert ἐξηγητικῶς, quum ait: *Ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram.* Nam nihil ab imagine diversum significare illud, sed propriè ἐξηγητικὸν esse, ex alijs locis apud Mosem evidentissimè confirmatur, in quibus modò simpliciter imaginem de eodem argumento enunciat; modò similitudinem, vt versu 1. cap. 5. Atque hæc cùm adhuc ita se habeant; incertes sunt, quamvis speciem acuminis præ se ferant, eorum interpretationes, qui de discrimine inter similitudinem & imaginem excogitando laborarunt. Res autem ipsa, nempe imago & similitudo Dei, quid sibi velit, inter authores controvertitur. Nam alij in substantia hominis, alij in qualitatibus, alij in actionibus imaginem similitudinémque Dei statuerunt. In substantia hominis inesse Dei imaginem qui affirmant, dicunt hominem præditum esse spiritu vel anima rationali in tabernaculo corporis habitante; secundò, immortalem esse spiritu secun-

dùm essentiam: Tertiò, immortalem fuisse creatum animo & corpore κατὰ δύναμιν. Qui in actionibus imaginem Dei esse statuunt, quorum in numero est Chrysostomus, dicunt & imaginem Dei inesse homini, quòd dominium habet, & quòd dominio vtitur in omnia quæ hîc sunt: quòd denique tanquam Deus parvus est in terra, si cum cæteris animalibus comparabitur. Postremò autem qui in qualitatibus positam esse Dei imaginem tradunt, ij statuunt in anima hominis non tam ratione substantiæ, quàm ratione qualitatum inesse imaginem Dei, eò quòd homo secundùm Deum à principio fuerit conditus in justitia & sanctitate veritatis, ex verbis Apostoli Ephes. 4. 24. Ac proinde ex his omnibus constituunt, imaginem Dei in homine appellari expressas vel potiùs adumbratas in homine secundùm animam, vel in hominis anima, quasdam similitudines & formas, quibus Deus seipsum quodammodo, prout in rebus creatis fieri potest, figuraverit. Mihi quidem planè non displicet, vt substantiâ & qualitate imago Dei in homine dicatur esse: substantia, quia essentia spiritualis est & immortalis animus illius: qualitate, quia in eo spiritu, quem Deus afflatu homini indidit, veritas, justitia, & sanctitas humano spiritui inditæ sunt. Sed quia propriè imago illa hominis in habitu posita est; ea de causa potiùs judicaverim substantiam in imagine Dei censeri oportere, non quà spiritum habet homo, sed quà spiritus talibus qualitatibus & proprietatibus præditus est: ac proinde animum hominis esse τὸ ὑποκείμενον: qualitates verò in eo subjecto esse inde à creatione constitutas. Est autem qualitas illa triplex: Prima (vt Paulus loquitur) est justitia: secunda, sanctitas: Tertia, veritas; è quibus justitiam & sanctitatem opponit Apostolus ταῖς τοῦ παλαιοῦ ἀνθρώπου ἐπιθυμίαις: veritatem verò opponit τῇ ἀπάτῃ. Ex quo sequitur his singulis qualitatibus duas esse partes, nempe privationem vel potiùs carentiam mali contrarij,

& habitum seu ἕξιν boni. Neque enim putandum est Adamum ideò fuisse ὅσιον, δίκαιον, καὶ ἀληθῆ, quòd non fuerit ἀνόσιος, ἄδικος, & ἀπατηλός: verum etiam quòd in ea justitia, sanctitate, & veritate institutus in ea se occupaverit. Nomine autem justitiæ intelligimus, ea officia quæ ad genus humanum & res omnes creatas pertinent: nomine sanctitatis, officia pietatis: nomine veritatis denique horum vtrorumque officiorum modum, nempe quod Adam in officijs justitiæ & sanctitatis animo (vt Paulus loquitur) ἀνυποκρίτῳ atque ab omni fallacia alieno se occupaverit. Atque hæc tria ita fuerunt in homine, vt optimam & admirabilem harmoniam & quasi concentum in omnibus ejus partibus exhibuerit, intelligentia sancta, justa, & verace: denique toto spiritu voluntatem suam, & suum corpus organicum ad sanctitatem, justitiam, & veritatem adhibuerit. Atque hæc imago Dei: quæ quum Essentialiter prædicatur de Deo, vnivocè Deum ipsum significat; quum de homine, æquivocè. Ex his sequitur imaginem Dei esse substantiam spiritualem, præditam omnibus perfectionibus vel perfectis qualitatibus, quæ rei vni creatæ in sese possunt competere, & ad majestatem perfectionemque divinam adumbrandam, pro conditione ipsius. Spiritualem substantiam esse antè ostendimus: Atque hoc genus est: differentia est, quòd spiritualis illa substantia prædita dicitur omnibus perfectionibus ad majestatem & perfectionem divinam adumbrādam pertinentibus: non enim imago Dei in hac tantùm, aut illa perfectione, sed in omnibus simul constituenda est. Quia verò hæc differentia in forma & fine posita suum modulum habet (nam Deus infinitus est, imago finita) proptereà vtrique descriptioni, formæ inquam & finis, restrictionem adhibuimus per necessariam his verbis, *Quæ rei creatæ possunt competere & pro conditione ipsius.* Nam Christus est quidem imago Dei patris, sed non res creata: neque tenuiter adumbrans, sed plenè exprimens Patris ὑπόστασιν.

Deinde imaginem Dei dupliciter considerari necesse est: Primùm, in nobis secundùm creationis legem, sive in natura nostra, vt primùm à Deo creata est: deinde verò secundùm instaurationis legem, vel gratiam Dei, prout in Christo in dies renovatur, & perfectionem summam adeptura est. Quod autem adjicimus pro conditione ipsius, id eò pertinet, vt cõditionem naturalem nostram, etiam in ipso primordio naturæ nostræ, sentiamus quàm longissimè abfuisse à conditione Dei, & adumbrare solùm, & quasi lineamentis quibusdã repræsentare imaginem Dei potuisse. Nam conditio Dei infinita est substantiâ, potentiâ, actu: Conditio verò imaginis Dei in creatura substantiâ, potentiâ, & actu finita est: substantiâ, nam tempore cœpit, & definitur loco: potentiâ; Nam est mutabilis: actu, nam successivè actiones & passiones & cæteras affectiones obit. Propterea quæ in homine creato fuit mutabilitas, ea correcta est in homine instaurãdo, quum transplantatus est in Christo, qui est imago Dei æterna & immutabilis. Nam prior homo factus est in animam viventem: Posterior autem in spiritum vivificum; ac proinde qui mortem expulerit. Atque hinc, nempe ex specifica hac hominis differentia factum est, vt multa singularia & propria humano generi tribuerentur, quibus illa imago Dei congruè cohonestata est. Eorum singularium ornamentorum genera sunt duo: alia enim sunt hominis in se: alia verò hominis in res creatas cæteras: Quæ omnia non constituunt per se imaginem Dei; sed propria sunt imaginis divinæ adjacentia. Hominis in ipso proprium est adjacens, tota illa corporis organici constitutio; quam ipsi quoque infideles sic admirati sunt, vt ex compage, coagmentatione, symmetriaque corporis divinam imaginem agnoverint. Extra hominem illud proprium est quod reliquo versu explanat Moses: nempe imperium in res omnes inferiores. Atque hîc in re non parva Chrysostomus graviter deceptus est; quòd ex differẽtia specifica

hominis, quæ est imago Dei, effecit proprium adjacens illi differentiæ specificæ, & confudit duas res diversissimas. Hujus autem dominatus partes duæ sunt. Nam dominatus vnus est in animantes; alter verò in terram, velut fundum cujus hæres & dominus homo constitutus est. Dominium in animantes esse vniversale ostendit Moses, partim enumeratione, *In pisces maris, volucres cæli*, &c. dominium in terram illis verbis: *Et in vniversam terram*. Quod autem sub finem versus adjicitur, *Et in omne reptile*, variè exponitur. Nam alij hoc generatim de omnibus animantibus dictum volunt, quæ reptare in terra dicuntur, sæpè superiorum & cœlestium creaturarum cõparatione: alij speciem illam designari putant animantiũ, quæ propriè & singulariter reptilia nominantur. Posterius probo, & causam cur hæc à Mose in hãc sentẽtiam adjecta putem explicavi proximè præcedẽte versu. Cæterũ in vnũ observandũ est, pluralem numerũ, *Dominẽtur*, in his verbis fuisse appositũ, nõ solùm vt intelligamus nomẽ Adã de specie esse intelligendũ syllepticè: verũ etiam, vt illud quoq; teneamus, fœminã cũ viro esse cõsortem hujus imperij, vt quæ particeps sit ejusdẽ imaginis, eoq; etiã congruenter easdem prærogativas cum viro obtineat, si ordinem qui inter virum & fœminam est, exceperis.

27 *Itaq; Creavit Deus hominẽ ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit ipsum: marem & fœminam creavit eos.*

Sequitur effectus versu 27. Nam primùm dicitur Deus in genere *creavisse hominem ad imaginem suam*, Deinde verò particulatim dicitur *marem & fœminam creavisse eos*, Ex quo intelligimus narrationem, quæ à Mose cap. sequẽte adhibetur, per Epanalepsin adhiberi, postquàm totam creationis historiam explicavit; vt eò commodiùs ad generis humani & ecclesiæ historiam transscenderet. Quamobrem cùm hujus creationis modum luculentissimè Moses expresserit cap. sequente, ad eum locum auditores rejecturi sumus. Vnũ quæritur: Cur Moses de inte-

gro

gro intertexuerit illud, *Ad imaginem Dei creavit ipsum:* Sententia duplex est. Nam alij ad vehemētiam adjectum putant; alij ad evidentiam. Ad vehementiam, vt homo ampliùs afficeretur beneficij divini conscientia, & ad cognitionem sui ipsius revocaretur: Ad evidentiam verò, vt ambiguitas præcedentis membri omnino præcideretur, quia Hebræi reciprocantibus relativis carent. Cùm itaque ambiguum illud dictum esset: *Creavit hominem ad imaginem ipsius* (hoc enim de imagine Dei aut hominis poterat accipi) sapiētissimè spiritui S. visum est hac brevi repetitione omnē tollere amphiboliā, tanquā si rogāti, ad cujus imaginē respōdisset, ad imaginē Dei creavit ipsum.

28 *Posteà benedixit eis Deus: & dixit eis Deus, fætificate, & augescite, & implete terram, ac subigite eam: & dominamini in pisces maris, & in volucres cœli, & in omnem bestiam reptantem super terra.*

Tertium caput ad narrationem creationis humanæ pertinens, est sanctio legis naturalis, ad conservationē speciei recens creatæ, & ad jus authoritatemq; illius. Vtriusque autem idem est author, qui creationis, Deus; Fons est benedictio à Deo collata, quā his verbis exprimit, *Et benedixit illis Deus.* Modus est decretū à Deo pronunciatum & ipsi humano generi indicatū. Decreti partes sunt duæ: prima, ad conservationē speciei: secūda ad jus & authoritatē illius pertinēs. Speciei cōservationē Deus pronunciat iisdem propè verbis quæ in vers. 22. explicavimus: id tantùm discrimē est, quòd sedes illorū aqua, horum terra dicitur.

Iuris sive authoritatis humano generi attributæ pro ratione objectorū duo sunt genera. Nam primò homo Dominus vsufructuarius terræ, tanquam fundi, cōstituitur à Deo & Domino proprietario: Deinde verò Dominus cōstituitur cæterarū animantiū in eodē fundo agentiū. Dominiū vtile hominis in terrā, ex quo Deus hominē ἐμφυτευτὴν vel Colonū terræ perpetuarium dixit, demonstravit Dominus hoc verbo, *Subigite eam,* id est, agite, colite

& versate arbitratu vestro ad usum & commoditatem vestram. Sic enim perpetuò apud Hebræos accipitur verbū illud quo Moses vtitur. Ius verò dominij in cæteras res creatas & in superficiem à Deo his pronunciatum est, *Dominium habete in pisces maris*, &c. quo in jure non differentiam quidem specificam, sed proprium quiddam docuimus contineri in versum 26.

29 *Et dixit Deus, ecce, dedi vobis omnem herbam sementantem semen quæ est in superficie totius terræ, & omnem arborem in qua fructus est arboris, sementantem semen: vobis futura est, cibo.*

In hac reliqua parte capitis duplex quodammodo est conclusio: vna ad opus quinti & sexti diei pertinens, versu 29. & 30. Altera ad creationem totam, versu vltimo.

Ea pars quæ ad diei quinti & sexti opus pertinet, est de conservatione individuorum; vt quæ per alimenta sua conservari solent, & sine alimentis deficere. Quemadmodum itaque præcedens versus ad conservationem speciei totius pertinet per propagationē in individua: Sic etiam hi duo versus ad conservationem individuorum pertinēt in species suas. Nam Deus singulis individuis legem fert de rebus ad vitam necessarijs, primùm quidem homini, versu 29. Deinde verò cæteris animantibus, versu 30.

Hoc cibarium duplex attribuitur, ex herbis, sive graminibus fruticibusque, & ex arboribus & arbustis: quemadmodum hæc distinguenda esse ostendimus suprà versu 11. Harum rerum, quæ attribuuntur homini, duæ leges à Deo statuuntur. Nam in ipsum & confertur jus, & vsus exponitur. Ius in eo est, quòd ista divini numinis voluntate dono dātur humano generi. Vsus est, quòd in escam dantur. sed in hoc donativo quædam circumstantiæ sunt observandæ: prima, quòd Deus hominem jam eo tempore, tanquam in rem præsentem adducens, videtur ipsi in manum tradere donum suum, quum dicit *Ecce*: Secunda, quòd donum citra exceptionem vniversale tribuitur:

Tertia,

Tertia, quòd in ea, dum homini de cibario Deus prospicit, etiam viam aperit homini parandi cibarium suum labore suo, quum dicit; *Arborem sementantem semen*, id est, quarum rerum fructum ita percepturus es, vt etiam labore tuo sis earum semina curaturus, & de alimento in posteritatem tuam prospecturus. Quamobrem posteà quum Deus homini maledictionem pronunciavit, ex facto hæc tria restrinxit sapientissimè: cùm ex vniversa terra hortum Edenis; ex fructibus bonos plurimùm exceperit, tribulum & spinam producturâ terrâ: Laborem denique terræ colendæ sudore temperaverit.

De vsu vt multis agamus, nihil est opus: quia etiam naturæ huic corruptæ à Deo relictus est ad conservationem ipsius. Id tantùm interest, quòd tum visus est homo sic princeps justus esse, vt justè vteretur principatu suo:

Nunc depravatâ natura nostra nec justi sumus domini, nec justè vtimur, vsquedum omnia nobis in Christo sanctificata sint. Hîc incidit quæstio à multis multùm agitata: Vtrum ergo homini non licuerit ad victum vti animantibus? Convenit autem inter omnes, secundùm primam illam creationis legem victum hominis fuisse *ἀναίμακτον*, vt circumscribitur hoc versu disertè: sed vtrùm ex quo peccatum in mundum venit, homo sit vsus animantibus in cibum an verò ex diluvio tantùm; de eo controvertitur, alijs hoc & alijs illud affirmantibus. Cùm autem illa quæstio non sit hujus loci, verùm magis ad caput 3. aut 9. pertineat, eam in aliud tempus rejiciemus.

30 *Omni verò bestiæ terræ, & omni volucri cæli, omnique reptanti super terram in quo est anima vivens, omnem viriditatem herbæ in cibum: & fuit ita.*

Quemadmodum homini victus innocens principio creationis, sic etiam animantibus cæteris attributus est. victus enim illorum dicitur fuisse omnis viriditas herbæ: ex quo sequitur, primùm animantium omnium victum fuisse innocentem: secundò, omnium herbarum viren-

tium vires fuisse innoxias. Hæc autem omnium animantium cibaria fuisse ostendit Moses per enumerationem justam partium, de qua in antecedentibus satis dictum est: cui generis nomen subjicitur περιφραστικῶς, quum ait Moses, *In quo est anima vivens*: qua appellatione Moses vsus est, vt ostenderet nullum planè genus in hac vita esse quod principio creationis his legibus minimè teneretur: id est, his constitutionibus quas fecit Deus de hominis statione in hac vita, de specierum propagatione, & de individuorum conservatione. Sequitur effectus legibus Dei respondens, quem Moses innuit dicens, *Et fuit ita.*

31 *Viditque Deus omne quod fecerat, ecce autem bonum erat valde: sic fuit vespera, & fuit mane diei illius sexti:*

32 *Quum perfecti fuerunt cæli, & terra, omnisque ornatus eorum.*

Postremò approbatio cùm singularis hujus operis, tum omnium simul vniversalis ponitur versu 31. quâ tacitè continetur sanctio, vt suprà in versum 10. docuimus. Approbationem hæc verba ostendunt, *Et vidit Deus omne quod fecit; Ecce autem bonum valdè*. Sensus est, Deum suis illis operibus tãquam bonis, prout bonus est, delectatum esse. Quod autem bona dicuntur esse, id dupliciter intelligendum est: nempe (vt loquamur scholasticorum more) bona ad se, & bona ad aliud. Bona ad se vel in seipsis intelligimus, 1. κατ' οὐσίαν. Nam quicquid est quâ est bonum est, vt Augustinus multis in locis docet, imprimis libro 2. de libero arbitrio, & in Enchiridio ad Laurẽtium; 2. bona fuerunt qualitatibus in se. Ex his consequitur alterum, vt eadem quoque ad aliud bona sint, putâ actione, passione, & ordinatione. Ordinatione autem primùm ad Deum, cujus gloriam testantur: secundò, ad hominem quem ministerij & honoris officio prosequuntur: Tertiò, ad alias res creatas, quas singulæ suo ordine & modulo respiciunt. Quę sequũtur in altera parte versus 31. clausulam statuunt diei sexti, vt in præcedentibus factum est,

quum

quum dicit Moses, *Ita fuit vespertinum & matutinum diei sexti*: cujus membri partes evidentes sunt ex ijs quæ antè docuimus.

Vnica restat quæstio ab interpretibus plurimùm agitata, cur Moses dicat adjecto *He, diei illius sexti*, cùm in cæteris paribus clausulis Moses illud *He* reticuerit. Hoc omnes fermè Emphaticum judicant: alij ad commendationem diei quo homo creatus est; alij quo omnia absoluta sunt, referendum putant. Ego verò omnibus expensis haud scio an *He* istud sit relativum & ἐπιδεικτικὸν, nempe eorum quæ dicuntur proximè sequente versu, in hanc sententiam: *Fuit vespertinum & matutinum diei illius sexti*: quo absoluti sunt cœli & terra & omnis ornatus vel exercitus eorum. Proinde etsi lud eorum sententia est sequentem versum ad caput 2. pertinere (quamobrem illi literam quamdam sermone ipsorum novi segmenti indicem adjecerunt) non tamen minùs putaverim versum illum primum secundi capitis cum hoc versu conjungendum esse. Sed suum cuique per me judicium liberum.

CAPVT II.

1 *Postquàm autem perfecisset Deus septimo die opus suum quod fecit: quievit die septimo ab omni opere suo quod fecit.*

2 *Et benedixit Deus diei septimo, ac sanctificavit eum: quia in eo quievit ab omni opere suo, quod creavit Deus, faciendo.*

SEcundum caput, judicio nostro, ab eo versu incipiendum est qui quartus vulgò appellatur. Nam his quoque duobus versibus narratio diei septimi pertexitur, qua totum creationis opus quasi obsignatum est. Deinde verò inde à versu 4. per modum conclusionis summâ totius creationis in vnum contractâ tribus versibus, per Epanalepsin Moses regreditur ad ampliorem interpretationem operis ad diem sextum in creatione pertinentis: vt conditio hominis ampliùs explicaretur, primùm in natura integra, hoc capite: posteà verò in corrupta per lapsum, cap. sequente.

His duobus versibus de die septimo prædicantur duo: historia, quid Deus fecerit, versu 2. & institutum, quid Deus ordinaverit in diem illum, versu 3. Historicum est, quum dicitur *Deus cessavisse ab omni opere suo*, &c. Ac primùm quidem occasio cessationis istius priore membro versus, deinde cessatio posteriore circumscribitur.

Occasio cessationis his verbis prædicatur, *Quum absolvisset Deus die illorum septimo omne opus suum quod fecerat:* Absolvisset autem, nempe die sexto, ac proinde absoluta haberet die septimo: Sic enim per præteritum plusquam perfectum absolvendi verbum necesse est hîc intelligi. Qua ex re intelligitur ipsam quoque fœminam, vt etiam virum, in humano genere die sexto creatam esse: quamvis postea de creatione vtriusque singularem Narrationem instituat Moses. Sacra enim scriptura non semper ratio-

rationi temporũ adstringitur, sive (vt loquuntur Hebræi) non est prius & posterius in Scriptura sacra; sed tempora pro commoditate Narrationis plurimùm cõfunduntur.

Cessationis circumscriptio bifariam ostenditur, tempore, & modo: Tempore, quia *in die septimo*: Modo, quia *cessavisse* secundùm quid dicitur, non autem simpliciter: nempe ab omni opere suo quod fecerat, destitisse porrò facere creaturas novas. Nam alioqui certissimum illud est, quod ait Christus Ioan. 5. Pater operatur adhuc & ego operor: & perpetua est inde à creatione potentissima illa sustentatio & conservatio, quam Græci *ἀνοχὴν* appellaverunt, & quam ipse autor ad Heb. 1. his verbis significat, ferens omnia verbo potente suo. Itemque Actor. 14. & 17. Quamobrem inanis est in hunc locum & impia illorum objectio, qui absurdum esse narrant quòd Deus cessavisse aut requievisse dicatur. Nam alij ex ignoratione Elenchi in eam opinionem inciderunt: Alij verò malitiosè fallaciam divisionis commiserunt, vt imperitorum oculos præstinguerent. Sic etiam respondetur quæstioni illi, quò modo Deus, qui totus est actus & quidem perpetuus, sed sine motu, dicatur cessare aut quiescere. Nam primùm si naturam Dei simpliciter spectemus, idem (vt Augustinus loquitur) semper agit & semper quiescit. Nam agit sine motu & quiescit in sua ipsius actione: sed hoc in loco cessare dicitur secundùm ordinem Dei ad creaturas, & quidem respectu operis creationis. Est autem ineptum argumentationis genus, Cessavit ab actu creationis: Ergo cessavit ab actu.

Sequitur institutum versus 2. priore membro; & instituti causa, posteriore. Instituti duæ sunt partes: vna, quòd *Deus benedixit diei septimo*: Altera, quòd *sanctificavit illum*. Benedixit, id est, benedictum esse voluit & decrevit consilio suo. Sanctificavit, id est, diem benedictum sanctificari ab homine mandavit, & in sacris occupationibus & exercitamentis confirmi. Sic Scriptura sacra loqui solet,

ſanctificare dicens, nimirũ mãdato, pro eo quod eſt mandare vt ſanctificetur, vt Exod. 13. 2. & 19. 10. & alibi paſſim.

Vt autem hæc commodè intelligantur, communi delineatione vtrumque verbum explicabimus.

Benedictio & ſanctificatio in Sacra ſcriptura tribus modis fieri dicitur: *ἐνεργείᾳ, φανερώσει* ſive ſermone & declaratione, & *συμβόλῳ* vel ſignificatione. Reipſa ſive actione: vt quũ ei quod bonum dicitur & ſanctificatum, cõfertur ipſa benedictio & ſanctificatio; quod Dei opus proprium eſt: aut quum ab hominibus benedictio & ſanctificatio Deo tribuitur ſancta profeſſione vitæ, vt quum Eſaias cap. 8. præcipit, Sanctificate Iehovam omnes gentes: Sermone, vt quum mãdatur ſanctificatio, Exod. 13. & 19. aut quũ precibus petitur à Deo, 1. Tim. 4. aut ex verbo ipſius pronunciatur. Signo denique, quum res quæ veritatem a Deo certiſſimè conjunctam habet, aut ſanctè ſymbolis adjectis confirmatur, vt Numer. 6. 7. aut etiam impiè divellitur, hominum perfidia, permanente integra Dei veritate, vt Heb. 9. 10. & 10. 29. Atque hæc ſymbolica & ſacramento tenus eſt ſanctificatio.

Secunda pars verſus exponit cauſam, cur Deus diei illi benedixerit, eumque ſanctificari in terra voluerit: nempe *quia in eo ceſſavit Deus ab omni opere ſuo* quod ſex antegreſſis diebus magnificentiſſimè perfecerat. Atque hæc quidem cauſa non ſola nobis in obſervatione ſabbathi tenenda eſt; ſed in ea tres gradus ſive tres cauſæ concludendæ ſunt, ex quibus ſabbathum ſanctificari oportuit. Primus gradus eſt, quòd hæc ſolennis eſt recordatio creationis à Deo abſolutæ & adhuc ſuſtentatæ: id autem eſt exercitatio ſacra & meditatio in cultu Dei creatoris. Secunda cauſa eſt præfiguratio quietis illius æternæ, quam Deus ſuo tempore electis daturus eſt: atque hęc ſanctiſſima eſt meditatio ad cultum Dei & redemtoris noſtri pertinens. Tertia eſt hominum cõmoditas & animãtium omnium homini ſubſervientium, quibus Deus pariter proſpectum

voluit

voluit tanquam ſuis creaturis, quæ ſuo modulo ſingulæ vtuntur creationis beneficio. Primam cauſam hîc Moſes; ſecundam Prophetæ; tertiam, quartum præceptum Decalogi diſertè oſtendit. His accedit quarta quædam cauſa Iudaicæ genti ſingularis, vel potiùs confirmatio antecedentis inſtituti: nempe quòd Deus liberatione populi ex Ægypto & traditione Mannæ in deſerto Iudæos ampliùs obligavit, Exod. 12. & 16.

Hæc autem lex naturalis eſt, conjunctam habens ceremonialem deſignationem diei. Quamobrem, quia κατ' οὐσίαν, vel ſubſtantiam ſuam hæc lex naturalis eſt, ſancitur præcepto quarto decalogi, tanquam ab omnibus ex æquo obſervanda. Quia verò ordinis ratio partim naturalis, partimque (vt loquuntur ſcholæ) poſitiva eſt, propterea diſcrimen oportet in eo ordine adhiberi. Quod enim naturale eſt, puta diem ſeptimum quemque Deo ſacrum eſſe, illud permanet: Quod poſitivũ eſt, nempe illũ diem qui ſeptimus creationis eſt, diem eſſe ſabbathi ſive quietis; illud mutatum eſt in Eccleſia Chriſtiana & dies reſurrectionis ſubſtitutus, qui dies primus ſabbathi, id eſt, hebdomadis ab Evangeliſtis dicitur, & in Eccleſijs ab eo tempore nominatus eſt dominicus, Apocal. 1. verſu 10. & celebratus, Act. 20. 7. & 1. Cor 16. 2. Cauſa mutationis eſt reſurrectio Chriſti, & beneficium inſtaurationis Eccleſiæ in Chriſto: cujus beneficij commemoratio ſucceſſit memoriæ creationis, non traditione humana; ſed Chriſti ipſius obſervatione atque inſtituto: qui & die ipſo reſurrectionis, & octavo quoque die vſque dum in cœlos aſcendit, apparuit diſcipulis, & in conventum eorum venit; idemque conſtante Apoſtolorum & diſcipulorum obſervatione factum eſt, & Eccleſiæ Chriſti: cui ex inſtituto & exemplo ipſius Apoſtoli tradiderunt diei dominici obſervationem: Quod optimè expoſuerunt Cyrillus libro 12. in Iohan. capite 58. Auguſtinus ad Caſulanum Epiſt. 86. & ad Ianuarium Epiſtola 1 9. capite 13.

Et ideò Chrysostomus sermone 5. de resurrectione hunc diem jam olim in prisca Ecclesia vocatum fuisse scribit tribus nominibus, diem dominicum, diem pánis, & diem lucis: Dominicum puta, quia eo die, qui solennis erat memoriæ resurrectionis Christi, attendebatur ad verbum & cultum ipsius: Diem panis & lucis, quia eodem die in Ecclesijs sacramenta administrabantur. Nam dies panis eò dicebatur, quòd administratio esset cœnæ: Dies lucis, quòd Baptismi administratio in eo observaretur. Nam Baptismum veteres φωτισμὸν appellaverunt, diemque Baptismi diem τῶν φώτων, id est, luminarium; & Baptizati πεφωτισμένοι dicebantur: ex quo factum est vt in Græca Ecclesia, vsque dum Constantinopolis à Turcis occupata est, officium vnum fuerit Ecclesiasticum τοῦ ἐπὶ τῶν φώτων, id est, ejus qui audita Catechumenorum fide eos sisteret Baptizandos, vt noster Curopalates explicat. Quamobrem cùm dies dominicus, Christi facto, exemplo, institutoque Apostolorum & Ecclesiæ veteris observatione cōstantissima, & Scriptura teste fuerit observatus & subditus in locum sabbathi Iudaici: ineptè faciunt, qui observationem diei dominici ex traditione, non ex Scriptura sacra in Ecclesia perdurare asserunt, vt hominum traditiones his adminiculis (si Deo placet) statuminent.

3 *Hæ generationes cœli & terræ, quando creata sunt; qua die fecit Iehova Deus terram & cœlum:*

4 *Et omne virgultum agri (nondum fuisset futurum in terra) & omnem herbam agri (nondum fuisset effloritura) quū non immisisset pluviam Iehova Deus super terrā, & homo nullus fuisset qui coleret terrā:*

5 *Aut vapor ascendens è terra, qui irrigaret universam superficiem terræ,*

Hæc demum conclusio est antecedentis narrationis de illo septiduo, quam ante ex Mose audivimus. Hujus verò Conclusionis hæc forma est, quòd primum generatim totum argumentum antecedētis Narrationis compleċti-

plectitur: Secundò speciatim summas partes distribuit, in quas Deus suum creationis opus ordinavit. Ac primùm quidem summa totius narrationis comprehensio his verbis à Mose facta est: *Hæ sunt generationes*, id est ortus sive origines ac procreationes vel productiones (vt loquũtur) ad esse, *cœli & terræ*; puta totius vniversitatis istius à circumferentia (vt vocant) ad centrum vsque, sive ab extremitate vna ad alteram. Deinde specialis œconomia totius antegressæ narrationis à Mose ostenditur, & distinguitur in tria membra, prout œconomiam capitis 1. antè instituimus. Nam primus gradus est creationis, id est, productionis ad esse (vt loquuntur scholastici) quem gradum à Mose describi docuimus versu 1. & 2. capitis primi. Atque hæc significantur illa voce, *Quando creata sunt*, id est, primùm producta ad esse, quum priùs nō exstitissent. Secundus gradus est formationis sive ordinationis istius vniversitatis, quum *cœlum & terra facta sunt*, id est, formata & ordinata secundùm speciem illam elegantissimam, qua nunc inde à creatione perstant, dispositis elementis in sedes ipsorum, & facultatibus, actionibus, ac perpessionibus ipsorum sapientissimè, vt Dei decretum distribuit ea. Quam secundam partem narravit Moses à versu 3. ad 10. inclusivè. Id verò significat posterioribus illis verbis in versu 4. *Qua die fecit Iehova Deus terram & cœlum*. Fecit autem, id est, faciem indidit qualis nunc omnium hominum oculis exposita est. Etsi in hoc membro opus est duo observari; vnum, quòd hoc primùm Scripturæ loco (vt Iudæi annotant) Iehova Deus nominatur; quorum priore æterna Dei Essentia, quæ per se subsistit & omnibus dat esse: posteriore potentia designatur. Vtrumque verò hoc loco fuit conjunctim positum, quia tum demum ex operibus Dei ab ipso potentissimè consummatis patefactus est rebus creatis Iehova Deus. Posterius est, cœlum & terram per ὑστέρωσιν proponi. Hujus autem ὑστερώσεως vsus apud Hebræos est frequentatissimus memoriæ juvandæ

causa: nempe vt quum partes duæ aut plures positæ sunt, in repetitione illarum præposterum ordinem servent; ne prima pars, quæ propter numerum facilius ex mente excideret, meminisse volentem effugiat.

Tertius creationis gradus in Conclusione hac speciatim positus continetur versu 5. & 6. Is autem gradus est formarum seu specierũ quas Deus in cœlo & terra posuit vt gloriã ipsius testatã facerent, & hominibus ministrarẽt. Quem gradũ Moses antè cap. 1. exposuit, inde à versu 11. ad finem vsq; , sed in hujus gradus propositionem summã duo animadvertenda sunt: quibus positis locus maximã, judicio meo, habebit evidẽtiam. Vnum est, quòd Moses ab vna specie eaque prima inter omnes formata, reliquas voluit intelligi synecdochicè, nempe eas etiam quæ die quarto & diebus sequentibus à Deo constitutæ sunt. Synecdoches autem hujus in causa est, non generis illius dignitas, quòd cæteris antestare illud putandum sit; sed potius ordo temporis, quia hoc genus antè voluit formatum esse Deus, vt alijs pòst sequentibus naturis commodè vsui esset. Nam herbæ, gramina, arbusta, arbores die creationis tertio procreata sunt, simulatque effecta fuit illa Elementorum ordinatio de qua antè diximus: deinde aliæ species suo tempore constitutæ: sed ex ea specie, quæ prima fuit ordine inter creandum, reliquas Moses voluit intelligi.

Posterius caput quod observandum esse diximus, est commendatio singularis providentiæ & potentiæ Dei in creatione, quã Moses adhibet duobus firmissimis argumentis. Horũ prius à natura est: posterius à tempore. Argumentũ à natura in his verbis positum est: *Nondum futurum esset in terra, nondum exstiturum:* quasi dicat, ne minima quidẽ herbula ad hoc vsq; tempus in lucẽ hanc prodijsset è gremio terræ, nisi hoc Dei sapiẽtia præstitisset suo tempore & loco: Imò ne tota quidẽ natura ipsa, vel rerũ vniversitas aliquid ejusmodi moliri, nedum præstare potuisset:

fuisset; sed hoc vnicæ est providentiæ Dei, qui jam sum mandato suo procreavit, & nunc procreat, prout ipsi cōmodum videtur fore. Neq; est quod laboretur de Hebræa voce *terem*, quam alij vulgò interpretātur, quum nōdum: Falluntur enim interpretes in hujus vocis explicatione, nō videntes quantū sit discrimen inter vocem simplicem & compositam. Simplex enim propriè significat nondū, vt Gen. 19. 4. similiterque in verbis illis Mosis sic exponi flagitat argumentatio, quibus Pharaonem increpat nomine incredulitatis suæ: Exod. 9. 30. scio fore, vt nondum timeatis à Iehova Deo: sed aliud est si compingitur cum particula *Beth*, tum enim significat illud quod volunt interpretes, quum nondum: quæ particula interdum quoque deest Ellipticῶs, vt alijs locis plurimùm frequentatur.

Secundum argumentum à tempore, amplissimum est ad cōmendationem Dei providentię, quam in procreandis singulis speciebus demonstravit. Hoc cōtinetur altera parte quinti versus &, versu 6. cujus sententia est, primam hanc speciem creatam in rebus compositis planè immediatè à Deo fuisse factam, & sic de cæteris judicium esse: tantùm hominem excipi versu 7. Immediatè factam esse ostendit Moses κατ' ἀναίρεσιν, quum tollit quæ ad herbarum, fructuū, virgultorum, arbustorū, arborumq; generationē adhiberi solent, & rerū natura ordinariè postulat.

Nam hęc media negat in prima illa creatione adfuisse: Negat autē vniversè, tum substātias illas vel formas fuisse, tum earum modū: & per enumerationem partiū ampliùs confirmat Moses: Nā (inquit) media his rebus è terra excitandis adhibētur supernè, infernè: Supernè, pluvia à Deo, & cultura ab homine. Infernè, vapor exundantis terræ, & radices pascentis, adeoque herbas ipsas madefacientis rore, versu 6. Horū autem omnium nihil in procreatione herbarum exstitit; sed vnica Dei potentia fuerunt excitatæ; quæ sola effecit & constituit eas, & sola

adhuc est αὐταρκὴς ad earum sustentationem. Ac primum quidem genus adjumentorum est pluvia, cujus author dicitur Deus: Terra tanquam sinus esse dicitur vel area, quæ per benedictionem fermentatur incidente pluvia, vt succum illius haustum per radices plantarum distribuat in singulas earum partes: Nam Deus est qui dat incrementum, nunc quidem naturali ordine injecta pluvia, tunc verò immediatè & citra pluviam decreto suo. Secundum adjumentum est hominis cultura, qui agrorum fossione, pastinatione, stercoratione, satione, runcatione & alijs officijs agriculturæ terram pinguefaciendo, rarefaciendo, & versando vt opus est, habiliorem fructibus adferendis reddit; sed secuudariò & instrumentaliter: quia vnus est qui dat benedictionem Deus. Tertium adjumentum est vaporis, qui è terra excitatus à calore infirmiore, subsidit in corio vel superficie illius, eamque humectat cōvenientissimè eo humoris genere quem rorem appellamus. Hæc igitur adjumenta posteà quidem in rerum natura exstiterunt: tùm verò quum Deus plantas procreavit, in die tertio, nihil horum fuisse dicitur; sed vnicum & singulare decretum Dei loco pluviæ, culturæ, & roris, omnia præstitisse quæ fuerunt opus: nempe vt ex eo intelligamus, non magis hoc tempore obstrictum esse Dominum istis adjumentis quàm principio fuit, nec brachium ipsius minutum, quin etiam hæc omnia solus possit sustinere: vt qui naturæ author & Dominus est, non autem naturæ obligatus. Cæterùm non sumus nescij multas alias interpretationes in hunc locum allatas esse, has de creatione, illas de providentia & sustentatione accipientes hæc verba Mosis: sed neutram interpretationem commodè accipiunt verba hæc; quapropter etiam interpretationem de providentia Dei ordinaria, quam aliàs non dubitavi præponere, deserui vltrò; vt amplitudinem operum in creatione à Mose illustrari hoc exemplo ostenderem. Nam ex analogia, quod de primo compositarum

forma-

formarum genere dicitur, id etiam de cæteris consequutis accipi Moses voluit; puta quæcunque opera die quarto, quinto, & sexto, si hominē exceperis, fuerūt facta, & citra ad jumēti, materiæ, subjecti rationem solo Dei nutu effecta esse, & momento vno exstitisse: In homine verò etsi adjumenta non sunt aliunde sumta, moram tamen aliquam certo consilio à Domino interjectam esse, vt sequens narratio demonstrabit, & antè in caput I. ostendimus.

7 *Finxit verò Iehova Deus hominem pulvereum è terra, sufflavitq; in nares eius animam vitalem: sic fuit homo in animam viventem.*

Post conclusionem quam μεταβολικὴν esse diximus, ad singularem historiam de homine, sequitur historia illa, ad quam transitio facta est conclusione proxima. In hac autem singulari hominis historia, primùm creatio viri ostēditur hoc versu: secundò conditio adjunctaque, ad versum 16. Tertiò fœminæ creatio atque consortium. Hoc autem postremum membrum historiæ antecessit quidem aliquam eorum partem quæ de conditione hominis prædicantur; sed tamen postremo loco positum est: quia sic conjungi oportuit historiam hominis stantis in prima illa conditione sua cum historia lapsus, quæ narratur capite proximè sequente, & à fœmina dicitur incepisse.

In hoc igitur versu septimo creatio hominis primi à Mose exponitur: sed ita vt primò causa efficiens & actio ipsius; secundò opus atque effectus describatur. Deum creatorem causam efficientem esse, nimirum Patrem, Filium & Spiritum S. ex primo capite versu 26. didicimus. qui vnus Deus Essentia, & personis trinus, Iehova Elohim appellatur. Actionem enunciat verbo *Iatzar*, quod propriè Latinis dicitur fingere, Græcè πλάττειν: quia Deus quodammodo figulari arte vsus est in constituendo homine, quum materiam de terra sumsit argillaceam, cui deinde impressit formam. Hujus creatoris opus duobus

modis à Mose circumscribitur, specie, & genere: specie, in membro priore versus: Genere, in posteriore. Speciem definit Moses à partibus Essentialibus ipsius, corpore & anima; quarũ prior est tanquam materia, Posterior forma Essentialis à Deo indita corpori organico. De homine prædicatur, quòd Deus hominē, puta secundùm corpus, formaverit pulvereũ è terra: quibus verbis materiam corporis & figurationem cognoscimus. Ac materia quidem corporis, Elemētaris est, vt suprà fuit à nobis dictũ, cap. 1. Sed hîc amplius observandum, Deum materiam hominis ita ex Elementis desumsisse, vt non quamvis humum, sed pulverē de humo, id est, terram friabilem naturâ; non lapideam aut ita fermentatam & coagmentatam, sed per se dissolutam & in ventos facilè abeuntem accomodaverit ad hominis constitutionem primam: quam materiam non est dubium quin Deus pro admirabili sua sapientia adhibuerit ad corpus homini aptãdum, vt ea ampliùs hominem tenuitatis & vanitatis suæ conscientia afficeret, memorem operis sui, vt posteà hoc ipsum argumentum à Deo fuit adhibitum, cap. 3.

2 Quemadmodũ verò ex materia hominis per se inanitas satis ostenditur: Sic è diverso dignitatē hujus ipsius inanis & vani corporis demonstravit πλάστης. Nam singulari hac operatione Dominus singulare studiũ in speciem humanam ostendit, & singulari studio singularem quoq; dignitatem impressam voluit in ipsa corporis figura emicātem: quam rem etiam Athei & ignorantes Dei jam olim animadverterunt. Est enim singularis forma præ cæteris animantibus, singularis partium commensus, singulare intus & foris opificium: vnde singulares quoque facultates & operationes profectę sunt. Atq; hęc de corpore satis.

Cic. lib. 2. de Nat. Deor.

Altera pars hominis, nempe anima, creata quomodo fuerit, ostendit Moses verbis sequentibus, *Sufflavit Deus in nares eius animam vitæ*, id est, viventem. Quibus verbis circumscribitur anima hominis, & creatio ipsius, tribus di-

stin-

ſtinctionibus ſingularibus. Prima eſt ἐμπνεύσις, tanquam inſpiratus citra elementarem acceſſionem vllam creationis modus: Secunda, ſpecies, anima intelligens quæ ſignificatur Hebræa voce: poſtrema, proprium, quòd hæc anima anima vitæ eſt. De his tribus ordine dicturi ſumus. Senſus enim horum verborum eſt, Deum patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ſine vlla materia elementari animam vitalem & immortalem hominis, quæ forma eſt à natura ſimplex, illi Elementari corpori inſpiraviſſe.

Ἐμπνεύσιν, id eſt, inſpirationem à Deo fuiſſe factam oſtendit verbo, *ſufflavit*: cui adjungenda eſt illa circumſtantia, vt dicemus poſteà, quòd in nares, ſive in faciem ſynecdochicè, inſpiravit. Ex eo autem quòd Deus inſpiraviſſe dicitur, id primùm colligendum eſt: animam ergo non eſſe Elementarem, ſive materiatam aut ex vno, aut ex pluribus, aut ex omnibus Elementis: quod Philoſophi plerique voluerunt. Secundò, Non fuiſſe inditam primò ἀπὸ σωματικῆς ἐνεργείας, ſed ſola Dei immediata operatione: Tertiò non eſſe animam Adami cenſendam particulam divinæ auræ, ſive ſubſtantiam, vt olim loquebatur Manes, cùm ipſe flatus, id eſt, effectus quem anima hominis ex ſe profert, non ſit pars illius animæ ex qua proficiſcitur. Ac proinde multò minus ſi anima humana non dividitur, aut efflando tranſmittit ſubſtantiam ſuam vniverſe, aut ex parte ſui vel minima; multo igitur minùs divinæ eſſentiæ poſſet competere. Quartò, ex eo confici animam Adami foris adveniſſe, & fuiſſe divinæ animationis, id eſt, creationis & conſociationis cum corpore citra ſubſtantiæ divinæ communicationem: vt in Timæo Plato, & Ariſtoteles libro ſecundo de generatione animantium cap. 3. etiamnum de anima cujuſq; hominis fieri judicaverūt. Neq; prætereunda eſt ſilentio illa circūſtantia, quòd Deus inſufflavit eam in nares hominis, tanquam in ſpiramenta corporis ipſius:

Qua ratione non obscurè ostendit Moses, & sedem præcipuam animæ rationalis esse in capite, & ex ea veluti arce animam totũ hoc corpus & affectiones ipsius moderari.

Sequitur secundus locus de specie, quam Deus in sufflando effecit in homine. hanc speciem notavit Moses appellatione Hebręa animæ: quæ appellatio tantùm spiritibus intelligentibus, ac proinde subsistentibus per se tribuitur. Spiritibus intelligentibus solùm tribui tota Scriptura sacra testis est & communis Iudæorum observatio. Subsistentes esse, id est, substantivas (vt cum scholasticis loquamur) hominum animas, non autem qualitativas facultates, ostendit communis ratio; quòd non potest res vlla æterna, vt est intelligẽtia rerum spiritualium, accidere subjecto non subsistẽti. Vtrumque ergo appellatione animæ designatum est: nempe in homine fuisse positam substantiam spiritualem, & λόγυ sive rationis ac intelligentiæ participem. Quamobrem harum intelligentiarum proprium illud est, quòd & foris veniunt in corpus organicum, & à corpore discedunt, & sine eo subsistunt per se.

Tertius locus est, quòd Moses de intelligente anima pronunciat eam *animam vitæ* esse: quam loquutionem Mosis variè interpretantur nostri. Nam alij animam vitæ, id est, vitalem accipiunt pro ea facultate vivendi qua hîc vivitur: alij verò non communiter, sed propriè (vt nos facimus) animam vitæ homini inspiratam fuisse dicunt, id est, ea vita viventem quæ substantiæ intelligentis propria est. Id autẽ propriũ est substantiæ intelligentis, vt ipsa vitam sine fine, id est, immortalem habeat κατ' ἐνέργειαν substantiã suã: Et propterea vt veræ immortalitatis sit particeps κατὰ δύναμιν, si Deo tanquam Prototypo suo adhæserit κατὰ δύναμιν.

Atque hac ratione conditum fuisse Adamum jam antè cap. I. ostendimus, & rem ita habere tota Scriptura sacra testatur. His positis sequitur constitutio generis in altera

tera parte versus, his verbis, *Et fuit homo in animam viventem*, id est, quum hoc pacto anima vel substantia intelligens à Deo creata ex nihilo, corpori humano virtute Dei agglutinata esset in vnitatem personæ; factũ est; vt terrea illa statua animata viveret, princepsque animantium cæterarum species exsisteret. Genus ergo hominis prædicatur esse, animans. Cur autem? Quia ex antecedente creationis modo videri potuisset hominem generi animantium non posse accenseri, propter singulares illas ex creatione dotes, vnionem puta personalem duarum substantiarum, & prĕstantes illas qualitates huic personæ inditas; nisi id Dei spiritus his verbis ostendisset: Etsi res quàm plurimæ in homine sint singulares, tamen non eò minus hominem in genere animantium esse, & quæcunque de animantium genere prædicantur eadem quoque de specie hac verè prædicari, si eas proprietates excipias quæ speciei suæ sunt characteristicæ, sive differentias (vt vocant) specificas, propriaque, & adjacentia ejus speciei singularia. Est autem illud generis animãtium commune, quòd vivit vita vivente quidem, sed etiam contingenter moritura ex creationis lege. Quamobrem rectè Apostolus 1. Cor. 15. statuit antithesin inter vitam prioris & posterioris Adami, quum scriptum fuisse dicit priorem Adamum fuisse factum in animam viventem, id est, vitam quidem habentem, sed quam potuerit amittere; Secundum verò Adamum Christum, fuisse factum in spiritum vivificum: ac proinde & ipsum virtute Spiritus Æterni sui vitam habere quam non possit amittere, & nobis factum esse vitam vel spiritum vivificum; in quo vitam sic obtinemus, vt Spiritus illius ab omni morte periculoque vitæ amittendæ nos planè vindicet. Atque hæc de primi hominis conditu ex Mosis sententia pro nostro instituto satis. Sed de speciei propagatione in individua secundùm generationis legem, inter nostros disputatur. Nam alii totum hominem secundùm corpus & animam propagari putãt,

& quidem transfuſo ſemine transfundi totam naturam vnius in alteram, non ſolùm qualitatibus, ſed etiam ſubſtantia ipſa corporis & animæ.

Alij verò totum quidem hominem propagari putant, & generari ex traduce ſecundùm corpus & omnes facultates animæ ipſius, excepta rationali; quæ differentia eſt ſpecifica animæ intelligentis: ſive (vt dicamus evidētiùs) omnia à parentibus in filios traduci quęcunq; ſunt ἄλογα, vt ſunt corpus & naturales facultates, vitales, animaléſque, vt diſtinguünt medici, id eſt, τὸ θρεπτικὸν, τὸ αἰσθητικὸν, τὸ κινητικὸν, τὸ θυμικὸν, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, (etſi poſtrema hæc duo à philoſophis pleriſque excluduntur) ſed ſolum νοῦν, id eſt, ſubſtantiam intelligentem, quam illi vocaverunt τὸ ἡγεμονικὸν, à Deo creari ſigillatim, & ſuis corporibus ſingulis inſtillari atque inſpirari.

Priorem ſententiam, animam eſſe ex traduce, Epicurus tenuit, qui ſperma hoc modo definiebat, τοῦ σώματος καὶ ψυχῆς ἀπόσπασμα. Tenuerunt poſt illum Luciferiani, & alij: poſteriorem Plato, Ariſtoteles, plerique patres, & homines noſtri.

Qui ex traduce affirmant eſſe, quatuor argumentis maximè ſententiā ſuam ſibi videntur confirmare: 1. communi creationis lege. 2. Exemplo aliarum creaturarum. 3. Scripturæ ſacræ locis. 4. Rationibus ex abſurdo, à peccato, & ab inſtauratione ſumtis.

Qui contrà negant eſſe ex traduce, adferunt 1. ſingularem creationis legem. 2. Scripturæ ſacræ teſtimonia. 3. Rationes à natura Dei, & animæ, à peccato ipſo, & à gratia inſtaurationis ſumtas.

Qui ex traduce animam eſſe putant, ex communi creationis lege hoc argumentum adferunt.

> Quæ ad propagationem creatæ ſunt, eæ ſpecies per individuā in ſpeciem ſuam & ſecundùm ſpeciem ſuam propagantur ſemine.

Homo autem ad propagationem creatus eſt: Ergo in

speciem suam, & secundùm speciem suam propagatur semine. Qui refellunt, varijs modis respondent, distinctione, reprehensione argumenti, & contraria demonstratione. Distinctio prima hæc est, verum esse argumentum de substantijs corporeis, materiatis, Elementaribus, μεριστοῖς, sive partibilibus, & generationi ac corruptioni obnoxijs: Sed homo non est simpliciter corporea substantia, materiata, Elementaris, μεριστὸς, generationi & corruptioni obnoxia: Ergo verum est hoc argumentum de homine solùm, quâ substantia est corporea, materiata, &c.

Altera distinctio est, vera est hæc propositio in ijs de quibus dicitur: Non dicitur autem de homine: Ergo non est simpliciter de homine intelligẽda. Non dici autem res ipsa loquitur; Nam cõtrà dicitur, *Faciamus hominem*, &c.

Reprehensione argumẽti vtuntur dupliciter. Primùm enim majorem & minorem affirmant esse imperfectas, quæ tum demum perfectæ futuræ sunt, si adjeceris, quatenus propagantur. Secundò, Plus esse in conclusione, quàm in præmissis. Nam ex minore, vnde assurgit cõclusio, ampliùs concludunt quàm cõtineat illa, quum ajunt, Homo igitur secundùm corpus & animam propagatur. Postremò, negatione vtuntur, quia necesse non est illud quod volunt, nempe illam quidem legem creationis fuisse, vt species quæ propagantur per individua, propagentur & cõserventur propagatione: sed hoc opus de reliquo esse providentiæ. Nam, ajunt illi, providentiæ opus est, ex mutua propagatione conservare substãtiam animalium corruptibilium: Opus verò creationis, est ex nõ Entibus facere Entia. Nõ sunt autem animæ hominum propagatæ, non corruptibiles: Ergo animæ rationales ex lege & opere creationis sunt. Quam rem ita se habere eventus demonstrat: quia genitale semen non semper vitale est, sed providentia Dei aut vitam participat, aut vitæ expers est, non creationis lege.

Secundò adferuntur exempla 1. animantium. 2. ignis. 3. silicis, ferri, &c. Animãtes cęteræ, inquiunt, speciem suam conservant seminis propagatione: Absurdum fuerit idem in homine nõ fieri. Responsio aliorum est: Imò verò nihil absurdũ est, cùm idem in homine fiat, quod in cęteris animantibus. Nã quicquid cæteræ animãtes propagãt, idem propagat homo, quia propagare potest ex creationis lege: Sed animam vegetativam & sensitivam propagãt: Et homo igitur. Contrà verò animã intelligentem non propagant: Quamobrem non est absurdum, si anima intelligens ab homine minimè propagatur. Quòd si respondeant, non enim habent animantia cætera animam intelligentem; id tamen hoc loco satis est, quicquid illa propagant, idem ab homine, ac non minus quàm ab illis, in sua specie propagari. Cætera sequentibus exponentur. Contrà instant: Atqui τὸ θυμικὸν, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, ab ipsis philosophis summis animæ rationali, vel intelligenti adscribuntur: Hoc autem propagant animantes cæteræ: Ergo anima etiam λογικὴ propagatur. Responsio est multiplex. Prima, quòd Philosophi veteres τὸ θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικὸν animæ intelligenti adscripserunt, tanquam partes ipsius, id fecerunt καταχρηστικῶς, vt ipse Aristoteles in historia animantium non obscurè indicat: non enim essentiales sunt intelligentis animæ, sed adventitiæ, vt posteà docebimus. Secunda, qui partes animæ has appellant, dicunt animam intelligentem esse διμερῆ, quòd partem hanc λογικὴν habeat, τὸ ἡγεμονικὸν, & partem illam ἄλογον, cui hæc duo adscribuntur, nempe facultas irascibilis & cõcupiscibilis: Atqui τὸ ἄλογον qua ratione potest ἐν τῷ νῷ, id est, ἐν τῷ λογικῷ subsistere in se & per se, ita vt sit pars Essentialis ejus? hoc verò appositum est in opposito, vt loquuntur vulgò. Tertia, Ipsi ijdem Philosophi animã λογικὴν simplicem esse statuunt, prout simplex est intelligentia: Non est autem anima hæc simplex, si partem λογικὴν, partem ἄλογον habuerit: ergo hæ propriè non sunt

partes, sed figuratè appellantur: neque essentiales sunt ipsius animæ, sed in vnione personali ex corpore assumuntur, & vita animali ejus: id est, harum facultatum subjectum non est anima intelligens, sed totum compositum, quod hominem appellamus; anima verò principium est ipsarum in toto supposito.

Demonstrat illud Nyssenus lib.3. quum ait refellens Stoicorum opinionem, qui facultatem spermaticam animæ adscribebant, non esse facultatem animæ rationalis, sed animæ corporeæ. Est autem pari ratione τὸ θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικὸν in cæteris etiam animantibus: Ergo hæ duæ partes non sunt partes, aut potiùs facultates solùm intelligentis animæ; sed etiam animæ illius quam sensitivam vocant: id est, facultatis illius quam sibi anima vindicat in suo corpore organico. Ergo, inquient, plures sunt animæ in vno eodemque subjecto. Minimè verò: nam cujusque subjecti vnica tantùm forma Essentialis esse potest: anima autem Essentialis forma est hominis: sed perfectior forma quum advenit, prior quæ imperfectior fuit corrumpitur, ita vt sequens forma habeat quicquid habuit prior, & eo ampliùs, qua perfectior est. Ac proinde vt vegetativam facultatem sibi vindicat sensitiva, quum semini vel fœtui advenit, sic etiam sensitivam sibi vindicat intelligens, estque vna eademque hominis anima, principium facultatum omnium ad ipsam pertinentium, sive Essentialis, vt est intelligens, sive adventitiarum, vt cæteræ: Neque verò in hunc modum voluntas animæ adimitur: sed aliud est voluntas animæ in se, vt si de Angelis dicamus exempli causa, aliud voluntas suppositi, quod secundùm personalem vnionem est vnum ex anima intelligente & corpore constitutum. Nunquam enim anima intelligens hominis substitit sine affectione ad corpus suũ: & quod ex morte subsistit seorsim à corpore, tamẽ & jure, & affectione, & potentia ad suũ corpus relationem habet, quod suo tempore receptura est. In ea itaque, vt memo-

ria, sic etiam voluntas & appetitus intellectivus remanet, quamvis sensitiva memoria & voluntate abolita; sed tamquam pars illius voluntatis & memoriæ ad suppositum integrum pertinentis. Id vno argumento probemus. Anima intelligens in corpus humanum veniens sibi vindicat quicquid animæ sensitivæ est. Est autem & sensitivæ, velle. Ergo & hoc sibi vindicat intelligens.

Ab exemplo ignis sic argumentantur: Ignis propagatur de lucerna in lucernam sine sui corruptione vel diminutione, quanto magis simplices Essentiæ? Ab exemplo silicis: Ex silice & chalybe attrito excitatur ignis. Ad hæc & alia exempla omnia respondent alij, exempla esse dissimilia: Quòd si exempla similia quærenda sunt, similes esse spiritus vel spirituales intelligentias tam bonas quàm malas. Spiritus autem nullos propagari in altero illo genere: Horum igitur Spirituum exemplo, quod simile est, cætera exempla labefactari, quia dissimilia sunt.

Tertiò sacræ Scripturæ loci hi potissimum adferuntur. Primus Genes. 1. versu 28. Dixit Deus mari & fœminæ, Multiplicate, &c. ex his verbis sic concludunt. Omnium horum verborum communis est intelligentia: Hæc verba communia sunt homini cum cæteris animantibus: Ergo communis est intelligentia de propagatione, quam efficit Dei providentia ex creationis lege. Respondetur: 1. si communia sunt, Ergo id solùm quod commune est concludere: communem autem esse corpoream propagationem: ac proinde plus ex eo concludi non posse. 2. Verba quidem communia esse, sed diversam intelligentiam; quod Deus singulari in hominem pronunciatione seorsim à cæteris animantibus, & adjunctis demonstravit, & ipsa natura mentis confirmat. 3. confutari iisdem modis quos antè diximus in primum genus argumentorum: nempe hoc providentiæ opus esse. A singulari autem benedictione Dei non solùm in hanc speciem diver-

diversè pronunciata, sed etiam sigillatim cum individuis, id est, hominibus singulis communicata, pessimè concludi, & cum ratione communi reliquarum animantium implicari.

Benedictionem enim Dei, quia in creationis opere individua effecit, in creatione fuisse efficacem: In providentia verò, quia benedictio in speciem, non in individua fuit pronunciata, benedictionem modò efficacem esse in individuis generandis, modò non efficacem.

Secundus locus Gen. 2. versu 2. & 3. sic argumentatur: Deus cessavit ab omni opere suo quod fecerat: Ergo deinceps non creat. Hic verò animadvertendum illud est, locum illum sic dici generaliter, vt tamen cum restrictione sit accipiendus: Non enim cessavit à sustentando, aut etiam à regendo opere suo, sed à cōdendo novo. Respondent itaque, duas esse fallacias: 1. divisionis, qua relinquitur illud quod dicit Moses, Cessavit die septimo: nihil ampliùs Moses. 2 falsam esse sive interpretationem dixeris sive consequentiam. Nam si ita interpreteris, Cessavit die septimo, id est, inde à die septimo cessat; id Scriptura sacra non dicit, & petitio principij futura est in hac interpretatione: Sin autem consequētiam astruxeris hoc modo, Cessavit die septimo: Ergo inde à die septimo cessat: negatur consequentia, quia plus est in conclusione. Non enim cessat Deus ab omni opere suo, ac ne ab opere quidem creationis post diem septimū cessare dicitur: Nam pater operatur adhuc, & filius operatur, Ioan. 5. versu 17.

Tertius locus ex Gen. 2. v. 7. Anima vivēs propagatur: Homo est anima vivens: Ergo. Respondetur duplicem esse homonymiam, puta in majore & in minore propositione: Anima vivens aut significat genus ipsum, id est, animal, aut facultatem animantem, aut substantiam illam λογικὴν facultate animante conjunctam & principatum illius obtinentem. Majorem itaque duabus primis significationibus concedunt: tertiâ distinguunt.

Nam animam, quà est λογική, & vivit ac subsistit in se, non propagari: id autem quo vivit in corpore organico, cum suo corpore propagari. Rationem esse, quia anima λογική est Essentia simplex: Quod autē in partes abit aut propagatur, id nō est simplex, sed mutabile & corruptibile. 2. minorem esse imperfectā & continere fallaciam ex Elenchi ignoratione: Nam Mosem illis verbis, *Et fuit homo anima vivens*, genus hominis ostendere: Genere autem non tolli speciem, aut speciei τὸ χαρακτηριστικόν. Ineptè ergo facere, qui obducto nomine generis in hac argumentatione concludunt ad Characteristicum speciei.

Quartus, ex Gen. 2. versu 21. & 22. de creatione fœminæ: ex qua argumentantur in hunc modum. Si rationalis anima separatim crearetur & inspiraretur cuique individuo, idem de Chava ac de Adamo diceretur: Quod autem de Adamo dicitur versu 7. inspiravisse Deus in nares ipsius animam vitæ, non dicitur de fœmina: id ergo non est habendum pro vero. Respondetur, Majoris thesis non semper vera est, Quod non dicitur in Scriptura sacra, illud non esse verum. Verbi gratia, non dicitur Melchizedechi mater, pater, genealogia: Non fuit ergo Melchizedecho pater, mater, aut genealogia: Non valet consequutio. Secundò, In ijs quæ disertè non dicuntur in Scriptura sacra; si ad eamdem speciem constituendam veram habent analogiam, eam vnius speciei intelligi oportere: Positam autem esse normam analogiæ versu 7. de humano genere: & idem quoque ex animantiū cæterarum exemplo sequi. Tertiò confirmari hanc analogiam primis verbis divinæ illius consultationis versu 17. Faciam Adamo auxilium, quod sit tanquam persona ipsius: & Dei facto, versu sequente: quum dicit Moses Iehovam exstruxisse costam illam quam de Adamo sumserat in mulierem: & interpretationem Mosis cap. 1. versu 27. quum dicit, Marem & fœminam creavit eos: Denique verba Adami cap. 2. versu 23. dicētis, Os ex ossibus meis & caro ex carne

mea,

mea, non autem anima ex anima mea.

Quintus locus Gen.3. versu 14. Semen propagationis est: Christus ipse est semen mulieris: Ergo & Christus ipse propagationis est: Respondent se accipere totum argumentum συνεκδοχικῶς, & ea distinctione quam Sacra scriptura in loquẽdo servat: nempe quòd fructus lumborum est, & fructus ventris illius, 2. Chron.6.7. Psal.132.11. Luc. 1.45. Quemadmodum idem de omnibus hominibus dicitur, Psal.127.3. sed nusquam in Sacra scriptura vel minimum vestigium exstare illius loquutionis, quòd homo secundùm animam sit fructus animæ: Semper lumbis, renibus, ventri, seminalem illam virtutem & materiam attributam esse.

Sextus, ex Gen.5.3. vbi dicit Moses, Quum vixisset Adam 130. annos. genuit filium ad similitudinem suam, secundùm imaginem suam, cujus nomen vocavit Seth. Adam, inquiunt, genuit Sethum ad imaginem suam: Ergo genuit secundùm animam propagatione: Res. Negatur consequentia. Nam Deus genuit Adamum in imagine sua, secundùm similitudinem suam, & quidem secũdum animam; sed non propagatione, quod Manichæum est: secundò distinguendum esse, quia fallaciam compositionis committunt qui ita argumentantur. Nam verbum gignendi dici de substantia generabili; sequentia autem illa, In similitudine, dici de qualitatibus generati: ac proinde has voces cũ nomine intellecto filij, non autem cum verbo gignẽdi cõjungendas esse: quasi diceretur, Genuit quidem filium, sed præditum iisdem qualitatibus cum patre: Tertiò, ex contrario colligendum, Si secundùm suam imaginem genuit, Ergo non genuisse secundùm imaginem Dei, aut secũdùm animam λογικὴν: Nam animam λογικὴν. etiã secundùm id quod substãtia rationalis est, & immortalis est, esse imaginem Dei, suprà 1. versu 26. Quartò non valere argumentationem à qualitatibus animæ ad substantiam illius.

Septimus, ex Genes.46. Nihil egreditur de femore hominis, nisi quatenus causatur ex semine: Anima filij egreditur de femore patris, Gen.46. omnes animæ, quæ egressæ sunt è femore Iakobi: ergo anima intelligens causatur ex semine. Respondetur dupliciter peccare hoc argumentum: primùm, quia ex figurata loquutione eruitur conclusio non figurata: est enim synecdoche: quia ex parte concluditur de toto: nam vt demus vegetativam & sensitivam causari ex semine, quæ sunt imperfectiores, non sequitur eam quæ accedit & perfectior est, ab eadem causa proficisci. Octavus locus. Omnes alij Scripturæ loci, ex quibus contenditur animam esse ex traduce, omnes fermè eodem pertinent, à peccati originalis ratione: puta Gen.6.versu 3.& 5.& 8.21. Psal.51.versu 7.& 119.67. Cant.Cantic.1.versu 6.Rom.5.12.& 15. Ex his argumentantur in hunc modum: 1. Peccatum originale, ex quo cætera profluunt, inest homini inde à conceptu: immò (vt Pauli verbis vtamur) in Adamo omnes peccaverunt: Non est igitur à nobis: 2. Si non est à nobis, igitur à parentibus transfunditur: nam quicquid est ex carne, caro est, Iohannis 3. 3. Est autem peccati subjectum anima: Nam corpus ipsum brutum est per se: Igitur anima propagatur: Quartò, id probatur hoc modo: Accidens non nisi subjecto capaci inesse potest: Anima, non corpus, subjectum est peccati capax: Ergo & animam transfundi vel ex traduce propagari necesse est. Qui contrà affirmant, respondent se Scripturæ sacræ quidem veritatem agnoscere, non autem hujus argumentationis: Nam primæ argumentationis dari antecedens, sed negari consequens per distinctionem. Etenim peccatum originale non esse à nobis ipsis, tamquam filijs Adami secundùm causam efficientem per se, sed per accidens, quia tota species fuit in Adamo. Hoc autem probari verbis antecedentibus ex Paulo Rom.5.quū dicuntur in Adamo omnes peccavisse, ex analogia loci alterius qui est ad Hebr.7.versu 10.secundam

dam argumentationem dari: ſed non valere argumentationem a qualitate ad ſubſtantiam, & mutato prædicationis genere in loco Iohannis. Carnis enim appellatione qualitatem inhærentem, ac non ſubſtantiam hominis ſignificari: quod duo argumenta docent: prius ab oppoſitione carnis & ſpiritus, id eſt, vitiatæ & renovatæ qualitatis noſtræ: poſterius ab oppoſitione prædicationis: nam ſi homo ideò eſt caro, quia ex carne natus eſt; & ideò ſpiritus, quia ex ſpiritu: omnino alterũ horum neceſſe eſt, aut carnem, id eſt, ſubſtantiam hominis non intelligi, cùm nõ poſſit eadem caro eſſe & Spiritus, ſed in eadem ſit caro & ſpiritus; aut carnem noſtrã (quod falſum eſt) accedẽte ſpiritu interire. Quamobrem non dicit Chriſtus, qui ex carne eſt natus, caro eſt, &c. tanquam de homine ipſo, ſed tamquam de accidente in homine, Quicquid ex carne, quicquid ex ſpiritu. Argumentationis tertiæ refelli antecedens negatione, & diſtinctione. Negatione, quia peccati ſubjectum in homine non ſit anima ſola; ſed ipſe homo vel perſona tota. Falſam autem eſſe argumẽtationem à non diſtributo ad diſtributum, a toto ad partem, a perſona ad naturam. Diſtinctione verò, quia etiamſi detur illud, animam eſſe ſubjectũ peccati, tamen eſſe in voce animæ homonymiam: Nam animam in perſona ſua, id eſt, in homine cõſiderari, nõ tamen quà eſt ſubſtantia λογική, ſed qua facultates cæteras obtinet in corpore organico, & vnionis perſonalis vinculo cũ eis devincta eſt. Proinde conſequẽs illud quidem neceſſarium eſſe, ergo hominem ex traduce per propagationem gigni; nõ autem illud neceſſariò confici, animam λογικὴν ex traduce eſſe.

Quartę argumentationis eſt eadem ratio, ac modò diximus. Etſi non conſtat juſta ſua forma illa argumẽtatio, ac proinde non concludit, ſi quis partes illius bene obſervaverit. Poſtremò autẽ in his omnibus prudenter fugiendam eſſe & religioſiſſimè cavendam homonymiã in voce peccati: quam vt explicemus paucis, per definitionem

& divisionem ipsius ostendemus quàm multiplex sit homonymia. Hæc definitio esto. Peccatum est ἀνομία, id est, defectus boni legitimi à Deo inditi naturæ nostræ; quo defectu homo planè alienus & declinans à bono, neque nisi inclinans in malum & præstans malum reus est iræ Dei, damnationis, & pœnæ æternæ.

Nomine igitur peccati modò id totum significatur, modò partes ejus, quas vulgò in peccatum originale & actuale distinxerunt; Nos verò ad evidentiam per gradus secundùm antecedentem definitionem distinguemus: Primus gradus est causa efficiens peccati & adjunctorum ac consequentium omnium, nempe illud actuale peccatum Adami & Evæ contra mandatum Dei, quo se & suos mancipaverunt morti, ex sententia quam antè Deus pronunciaverat versu 16.

Secundus est, Consequēs antecedentis peccati in Adamo & Hava, nēpè quod ex eo actu illegitimo parentes nostri defectum & privationem boni experti sunt, ex quo ipsi inclinaverunt & ruerunt in actiones malas: quę duo intelligenda sunt verbis Apostoli ad Rom. 5. quum dicit ἑνὸς παράπτωμα, nimirùm actio & habitus ex illa actione prima judicio Dei consequutus.

Tertius est, Peccatum originale in nobis ex peccato parentum nostrorum, id est, defectus ille boni legitimi in creatione accepti, quo defectu homo impotens est ad bonum, & exempli gratia cum putri arbore comparatur, & vitali succo destituta.

Quartus est, Inclinatio in malum & actiones malæ ex hoc defectu procedentes; quemadmodum arbor putris non potest non inclinare in ruinam, & lapsa jacêre in malo: eo quòd anima hominis actus est perpetuus, ac, proinde aversa à bono, fieri non potest quin sit tota in malo, atque in eo occupetur.

Quintus gradus est effectus antecedentium omnium, nempe reatus iræ, damnationis, & mortis æternæ.

Ex

Ex horum graduum confusione plurimæ argumentationes malè connecti, & ex distinctione solvi commodissimè apud omneis constat.

Quartus argumentationum locus est ex absurdis, quæ videntur consequi, si dicatur anima humana non esse ex traduce.

Primum absurdum est, Si homo non transmittit animam propagatione, minus facit in generatione quàm animantes cæteræ. Id autem indignum est dici, Ergo &c. sed hujus absurdi responsionem, quæ afferri solet, ostendimus in primo & secundo argumentationum genere.

Secundum absurdum, Si Deus animas infundit, aut puras inspirat aut impuras; Si puras, iniquus est qui corpus impurum obtrudit eis, & eos impurat injecto corpore: Si impuras, rursum iniquus est & peccati author.

Respondent alij, dilemma concedi, posterius membrum dilemmatis minimè concedi, quia falsum & blasphemum est. Concedi prius membrum, nempe animas puras à Deo inspirari: Consequens vero negari, quia antecedens est homonymon, & fallaciam habet ex Elenchi ignoratione. Homonymon est antecedēs, quia purus aut de eo qui reipsa purus est dicitur, aut de eo qui non impurus est. sed tamen hoc etiam omisso, vt de puritate dicamus, puritatis varios esse gradus, secundùm quos res puræ aut impuræ appellātur. Primò enim puritatem vnam esse simplicissimam, & perfectissimam, & omnis puritatis fontem infinitum, vt sol fons est luminis: Alteram verò puritatem esse illius imaginem, quam res omnes à fonte hauriunt suo modo singulæ, dum hærent ipsi. Nam puritas de Deo dicitur vnivocè, de cæteris æquivocè: Fontem esse Deum, imaginem esse creaturas omnes intelligentes. Rursum has creaturas intelligētes puritatem perfectam habere pro suo modulo, quando & Deus ad ipsas respicit, & ipsæ vicissim ad Deum secundùm creationem. Ejusmodi fuit puritas angelorum & hominis: quorum

primùm puritas fuit quidem simplex, sed mutabilis: Nic verò electorum Angelorum puritas est immutabilis, quia non solùm ipsi ad Deum respiciunt, sed Deus ipsos respicit in Christo sapientia & potentia sua, in quo jam effecti sunt immutabiles secundùm electionem illius. Alias verò puritatem habere imperfectam, nempe quum Deus creaturas quidem respicit, sed non ipsæ creaturæ Deum: quo in genere est homo post lapsum, qui non planè abdicatus est, vt Angeli mali: sed à Deo tamen respicitur, quamvis ad Deum non respiciat ipse. Primum genus puritatis summum vel simplicissimum appellari posse: Secundum, simplex vel medium: Tertium, infimum vel imperfectum.

Primi generis proprium est, quòd impuritatem nullam habet in se; aut habere potest; sed purissimè vacat à malo, & plenissimè abundat solo bono immutabiliter.

Secundi generis proprium est, quòd impuritatem nullam habet in se, sed habere potest per se: etsi Angelorum, qui in hoc sunt genere, conditio jam liberata est ab ea impotentia; quia subsistunt in Christo secundùm electionem, vt Deo immutabili.

Tertij generis proprium est, quòd homo jam à natura, prout concipitur nasciturque, non habet impuritatem actualis peccati per se, & secundùm se; sed defectum superioris illius puritatis quam in creatione acceperat, & culpam reatumque peccati per accidens, puta ex communi principio naturæ nostræ originariè; quia in Adamo participatione vnius speciei omnes homines sunt vnus homo, & ab vna radice truncus vnus. Ex quo defectu, privatione, & reatu id posteà cõsequitur, vt homo nõ possit non peccare: idque tribus modis: 1. Aversando Deum (vt fecit Adam statim à lapsu) & omne bonum ex facto per se, à quo jam aversus est originariè per accidens aliena culpa. 2. Inclinando in malum. 3. Malefaciendo.

Primam puritatem semper esse & dici puritatem: secun-

cundam verò & tertiam comparatè dici modò puritatem, modò impuritatem: puritatem quidem respectu inferioris gradus, aut etiam contrarij; Impuritatem, aut non puritatem negativè, aut privativè, respectu superioris: Nam impuritas habitus, non puritas privationis est: Ac propterea, quemadmodum Angelorum puritas si cum Deo comparetur, dicitur Deus non esse inventus in eis puritatem, Iob.4.18. vt optimè explicat Augustinus lib. contra Priscillianist. cap.10. Cùm tamen in Angelis puritatem esse sacra Scriptura testetur, & fateantur omnes: Sic etiam hominis conditio si cum Deo aut Angelis comparabitur, dicenda est impuritas: sin autem recentis animæ, quæ tamen originaliter in defectu & privatione est boni per accidens, conditio comparabitur cum impuritate nostra; eam puritatem jure appellari, vel potiùs non impuritatem, quia est non impuritas comparatè sumta. quem statum Scriptura sacra aliquando figurat hac loquutione; Esse qui non noverunt discrimen inter dextram & sinistram suam.

2 Respondetur, Imò si dilemma istud spectetur accuratiùs, non valere disjunctivam; quia non est immediata. Nam inter purum & impurum, esse medium scilicet illud, quod non impurum appellamus: Quo in genere constitui possit anima humana secundùm se, & prout à Deo inspiratur. Nam puram quidem non esse illam, quia puritate deficitur; sed impuram non esse per se, quia non peccavit, aut adhuc peccat; verumtamen actu non impuram esse, quamvis impuram potentia in supposito, vel potiùs impotentia: vt quæ aversa à Deo non possit posteà non peccare: ac proinde si ad peccatum respexeris, secundùm se puram esse animam recentem à malo, sed non puram à defectu boni legitimi in creatione accepti, neq; puram à reatu debiti secũdùm accidẽs. Nam & defectũ boni legitimi & debitũ à parentibus cõtractũ permanere, quarum rerũ hęreditatẽ illi in nos transfuderunt. Hæc autem

defectum inquam & debitum, nostra fieri, quam primùm concipimur: illa, nimirum peccata, quum vivimus. Hęc, vario respectu peccata, vel nō peccata appellari: Illa, semper peccata, & quidem nostra peccata esse. Illud similitudine ostendi ex Sacra scriptura: quòd peccata debita appellātur, & casus ὀφειλήματα καὶ παραπτώματα: alia enim debita esse hæreditaria quæ majores contraxerunt, vnde nos item ex alieno facto & per accidens nascimur debitores: Alia ex facto comparata. hominem itaque quum primùm concipitur nascitùrque, non reum agendi, sed reum debendi esse; sed posteà ex impotentia ad bonum & potentia inclinante ac ruente in malum, à creditore suo, id est, Deo fugere, & amplificare debitum.

Instatur 3. Si Deus animas non impuras infundit; tamen iniquè facit, qui pœnas ab eis culpæ ab aliena anima commissæ exigat, & ex alieno facto peccatis implicari sinat.

Resp. 1. falsam esse argumentationem. Nam alienus hæres præstat quæ ab alio commissa sunt, quia hæres est ipsius. Nos autem Adami hęredes fuisse dictos tùm à Deo creatione, tùm ab Adamo naturæ lege.

2 Ambiguum esse illud quod dicitur, aliena anima: Nam si anima figuratè (vt in hoc sermone debet) pro homine accipitur, ne ipsos quidem ψυχογόνους dicturos esse hominem ab homine esse alienum: Sin autem propriè animam accipiunt; non esse animæ, sed hominis factum, cujus anima intelligens excæcata fuit à Satana, concupiscentia excitata, omnia denique labefactata, vbi lucem suam amisit τοῦ ἡγεμονικοῦ.

3 Falsum illud esse, quod dicitur aliena anima, & alienum factum: Nam vt de vtroque dicamus ordine animam communem esse, 1 ortu à Deo, quamvis sine materia: 2. Specie & forma: 3. Instituto creationis ex benedictione Dei, secundùm vnionem personalem animæ cum corpore organico, & successionem personalem in eodem corpo-

corpore: Quam rem demonstrari ajunt jure stipulationis & obligationis illius, de qua pòst agit Moses versu 15. sive jure mandati à Deo accepti, & obsequij ab homine debiti: quia Deus homini mandatum dedit, vt toti speciei, & homo vicissim accepit mandatum speciei totius nomine. Neque obstare quòd animam posterorum ex sua non gignit Adam: nam satis esse creationis institutum; ex quo Deus benedictione sua res omnes quotidie procreat, materiatas quidem mediatè, sed immediatè ἀΰλους sive materiæ expertes: Factum verò parentum nostrorum dici alienum à nobis nullo modo posse.

4 Falsum esse suppositum illud, quòd Deus exigat ab eis pœnas alienæ culpæ, & peccatis inquinet eas. Nam neque culpam parentum nostrorum alienam esse, neque pœnas illius culpæ nos luere judicio Dei, sed animam luisse quæ peccavit: Quòd enim nos in istā privationem venimus, id à nostris parentibus esse, & ipsorum facto, in quibus omnes peccavimus: Ac proinde non posse Dei judicio acceptum ferri, nisi per accidens; nimirum ex parentum facto, quibus conditionem hanc Deus indixerat, qua die comederis de fructu arboris istius, planè morieris, id est, vita corporis & animæ hujus cum tuis privaberis. Neque nos alieno facto peccatis inquinari, sed nostro: vt qui ex parentum facto in privationem tam horrendam lapsi & conjecti, ipsi inclinamus & ruimus in peccatum corruptione naturæ nostræ.

4 Absurdum. Si animæ non sunt ex traduce, Christus carne solùm nobiscum vnionem habet, & redemtio omniaque beneficia ejus ad corpus, nō etiam ad animam pertinent. Resp. falsum esse consequens: Nam Christum secundùm humanitatem naturam hanc suam omnino eandem nobiscum habere communem, quam habemus cum Adamo secūdùm substantiam nostram: ac propterea filium hominis, filium Abrahami & Davidis, semen mulieris appellari: proinde ejusdem communionis natu-

ralis vinculo eumdem Christum servatorem nostrum, in locũ miseræ illius privationis ab Adamo acceptæ & peccati nostri, redemtionem suam & plenitudinem justitiæ suæ sufficere: Denique (quemadmodum loquuntur Patres) totum hominem suscepisse, vt totum redimeret. Adferuntur alia quoque absurda philosophica, quæ destringemus paucis.

1 Accidens non traducitur nisi traducto subjecto. Peccatum est accidens in anima tamquam subjecto: anima ergo traducitur. Resp. per negationem minoris: nam peccatum est compositi.

2 Similem sibi generat homo secundum speciem. Speciem hominis constituit anima rationalis: Homo ergo gignit animam rationalem. Resp. 1. ad majorem, hominem generare similem sibi, inquantum virtute seminis disponitur materia ad suscipiendum formam illam suam. 2. Minorem esse ἀμφιλόγον: nam speciem pro forma essentiali in ea accipi. Quòd si propriè accipitur, speciem quidem hominis constitui ab anima rationali, sed non totam in individuis singulis; quandoquidem species omnis, materiam, formam, & compositum simul complectitur.

3 Agens vnicum oportet esse cujus actio terminatur ad materiam & formam ipsius. Anima intelligens est forma corporis humani quod formatur virtute seminis. Anima ergo ab eodem agente est. R. Major non semper vera est: nam plura etiam agentia rei ejusdem concurrunt inter se ordinata. In ijs autem quæ ordinata sunt, non potest inferius agens dare quod superioris est. Exemplum in ipso conceptu: nam fœmina dat materiam, vir autem formam animalem. Dei autem est formam intelligentem addere.

4 Si animæ rationales à Deo infundũtur, Deus coopera-

peratur adulteris & peccatoribus. R. negatur consequens: primùm quia Deus non cooperatur in fieri, qui actus est peccati (vt Scholasticè loquamur) sed in facto, idque diverso modo & tempore. 2. quia in ipsa actione illud quod est naturæ, simpliciter & per se bonum est, huic autem cooperatur Deus: quod verò inordinatæ voluntatis est, id malum est, nec ei cooperatur Deus: vt in libris de libero arbitrio optimè distinxit Augustinus.

5 Anima hominis secundùm substantiam est vnica, intellectiva, sensitiva, & vegetativa. Anima sensitiva in homine generatur ex semine, vt in cæteris animantibus: Ergo & intelligens. R. Major quidem simpliciter vera est, sed ambigua: Etenim respectu essentiæ vnica est: sed respectu facultatum aliter & aliter se habet. Nam quia intellectiva facultas essentialis est, ideò anima subjectum ejus appellatur: sensitiva verò & vegetativa, quia essentiales sunt compositi hominis, animam habent pro principio motus, compositum verò, id est, hominem totum pro subjecto: atque hæc in propositione majore confusa sunt. Non valet autem consequutio ex ambiguo: neque valet à non distributo ad distributum, vt loquuntur vulgò. Nunc ad contrariam sententiam veniamus.

Quemadmodum qui animas ex traduce affirmant, ij creationis instituto, exemplis, testimonijs, & argumentis nituntur; Sic contrà qui negant. Horum verò partem maximam antè confutavimus in responsione & disputationibus proximè antegressis. Quamobrem ea quæ supersunt in pauca contrahemus.

A creatione argumentum hoc est: Deus ipse citra materiæ vllius adventum animam inspiravit homini, contrà

mirum quia creator est: Respondent alij agnosci hunc locū, sed nihil hujusmodi cōsequi. Nam primùm Deum creatorem & patrem spirituū dici, sive mediatè sive immediatè infuderit: Secūdò impugnāt vocem spirituum: hîc enim accipi ajunt pro donis spiritualibus. sed tamen hoc falsum est: Nam plurale nomen spirituum in Scripturis (si benè observavi) eam nō habet significationem.

Tertium testimonium est Psal. 35. versu 15. Qui finxit pariter corda ipsorum: cui sic respondent alij. 1. fingere Deum mediatè ex creationis lege: Prætereà cordis materiam substantiam esse propriè corpoream. Sed vtramque hanc responsionem constat magis effugium esse quàm justam interpretationem: quia (vt antè diximus) prima solutio principium petit, secunda verò mutat prædicationis genus: Nam sermonem figuratè dictum propriè accipit: Figuratè autem hæc verba intelligenda esse, prout Hebræi nomine cordis mentem vel animam intelligentem significant, antecedentia, & sequentia docent evidentissimè: Quartum testimonium est Eccles. 12. 9. Respondent illi, verum esse quòd Deus det spiritum, sed mediatè. Hanc responsionem verò confutat Antithesis.

5 Testimonium est Eccles. 37. Respondent parabolam esse, vt est, ac proinde ex eo loco necessariò concludi non posse.

6 Testimonium est Heb. 12. 9. respondent primum esse fallaciam homonymias, vt ostendit Antithesis carnis: Deinde etiam patrem spirituum Deum mediatè esse. Prior responsio non est firma: Nam spirituum nomen est plurale. Illa autem Antithesis tùm valet, ac non semper, quū σὰρξ πνεύματι non autem πνεύμασι opponitur: 2. Spiritus plurali numero quomodo accipiantur, antè ostendimus. Posterior responsio non magis infirma est: Nam sibi non constaret Antithesis patrum carnis, id est, qui corpora genuerint, & patris spirituum, id est, qui procreavit Spiritus. Hanc enim sententiam apud Iudæos obtinuisse,

& ex ea Apostolum ad Hebr. scripsisse loci sequentes docent Sap. 15.11. & 2. Machab. 7.22. Sed hæc respondent illi Apocrypha esse.

Absurda quæ conficiuntur ex doctrina de traduce à natura Dei, ab imagine ipsius, à natura spirituum, à natura ipsius animæ & à principijs naturalibus, ex præcedentibus facilè intelliguntur. His positis, vt finem tandem faciamus, totam hanc quæstionem concludemus paucis. Anima hominis aut ex traduce est, aut non est: Si ex traduce; aut ex semine parentum, aut ex anima citrà semen: Ex semine; aut secundum materiam, aut κατὰ δύναμιν, aut secundùm vtrumque. Καθ' ὕλην, id est, secundùm materiam, negatur. Nam substantia seminis est corporea, Ergo corporea gignit, ac non spiritualia. Secundùm potentiam negatur: Nam accidens per se non gignit substantiam. Secundùm vtrumque negatur, à definitione seminis, à natura animæ, & à creationis analogia. Seminis definitio est apud Aristotelem, ἀφρὸν τοῦ χρηστοτάτου αἵματος, &c. id est, spuma optimi sanguinis quæ potest mouere in se, ad tale quid perficiendum, quale est id ex quo concreta est. Qua in definitione aduersatur doctrinæ de traduce materia & forma: Materia, quia spuma & sanguis substantiæ corporeæ non gignunt substantiam spiritualem, vt antè diximus: forma, quia res composita est, & concreta, & similem gignens: Anima verò simplex. A creationis analogia: Nam cætera vt ex Elementis subministrata sunt per voluntatem Dei in creatione, ita subministrantur in propagatione: Sed imaginem suam solus fecit Deus in creatione. Ex anima citra semen illud esse negatur, à natura animæ quæ est simplex, ac non elementaris: non diuiditur, non mutatur, non corrumpitur: ideoque minimè omnium traduci potest: Denique in hoc ipso imago Dei est. Qui non ex traduce animam hominis esse ducunt; sed ex potentia

Dei

Dei, potentiam hanc aut absolutè creantem conside-
rant, aut respectu instituti ex illa creatione prima. Abso-
lutè & citra contemplationem illius instituti creare ne-
gat Moses Gen.1.28. Ergo respectu & vi instituti ex crea-
tione prima, animas creat & infundit Deus. In eo autem
instituto tres partes distinctè opus est observari. Prima
est, decretum Dei de quavis specie: secunda est tacita pro-
missio: Tertia est benedictio, quam ex decreto creatio-
nis tacita illa promissione Deus attribuit homini. Atque
hæc benedictio Dei ex creationis lege & promissione non
facit vt semen parentum edat animam, non vt homo gi-
gnat animam; sed gignat hominem: quia semini gignen-
tium Deus infundit animam à se creatam, non cum se-
mine, sed suo tempore: non per semen, sed per se. Atque
hæc vis promissionis & benedictionis divinæ ex lege crea-
tionis exserta, à nonnullis fuit tradux appellata; quia
quasi per successionem à parentibus in filios traducitur,
non per ipsos, sed per accidens, (vt volunt) quum Deus
per se infundit quod toti speciei in creatione promiserat,
& individuis singulis illius.

8 *Conseverat autem Iehova hortum in Hedene Orientem versus: vbi collocavit hominem quem finxerat:*

9 *Feceratq; Iehova Deus vt effloresceret è terra quævis arbor desiderabilis ad aspectum, & bona ad cibum: itemq; arbor vitæ in medio ipsius horti, & arbor scientiæ boni & mali.*

10 *Fluvius autem procedit ex Hedene, irrigando hortum: & inde sese dividit, estq; in quatuor capita:*

11 *Primi nomen est Pischon: hoc alluit universam regionem Chavilæ, vbi est aurum:*

12 *(Est autem præstans illius regionis aurum) vbi est Bdellium & lapis sardonyx.*

13 *Nomen verò fluvij secundi est Gichon; hic alluit universam regionem Cuschi:*

14 *Et nomen fluvij tertij Chiddekel, hic labitur ab Oriente Assyriam versus: quartus denique fluvius est Euphrates.*

SEcunda hujus capitis parte tria diximus contineri. 1. hominis conditionem. 2 vocationem. 3. consortiũ. Absoluto loco de conditione hominis, Moses venit ad secundum de vocatione officioque ipsius. Cùm autem vocationi hominis describendæ necessaria sit stationis vel loci vbi constitutus est intelligentia, propterea tanquam *παρέργως* Moses instituit descriptionem eius his 7. versibus. Postea verò hominis vocationem officiumque describit 3. sequentibus. Stationem hominis exponit Moses primum quidem generatim, versu 8. secundò speciatim circumscribit, versibus sequentibus.

In generali descriptione seu propositione verba hæc a Mose ponuntur, quòd *Iehova Deus instruxit plantis hortum in Hedene Orientem versus:* quibus verbis & præstãriam stationis illius & situm explicat, quemadmodum posteà speciatim hæ duæ partes enarrantur: præstantia quidem, versu 9. situs verò illius, sequentibus.

Primum præstãtiæ argumentum est, quòd *Iehova Deus consevit hortum plantis*, id est, instruxit eum omni genere plantarum, quæ ad hominis necessitatem, commoditatem, delectationemque pertinebant, vt versu sequente exponitur.

Secundum, quòd hortus fuit, id est, locus speciatim a Deo electus, vt in eo tanquam in arce regia hominem collocaret.

Tertium, quòd ne promiscuè quidem aut in regione obscura instituit hortum; sed in Hedene, id est, in regione circumfluente delicijs; quæ propterea Heden fuit appellata, vt posteà explicabimus.

Situs vel sedes stationis homini a Deo attributæ a Mose definitur generatim vna voce, *Ab Oriente*: quæ descriptio quia relativè dicitur, sive ad aliud, varias interpretationes

tiones habet. Nam alij exponunt, Ab Oriente, respectu Cananeæ vel respectu Israëlitarū in deserto versantium, quo tempore illis Cananeam petentibus hæc scripsit Moses: Alij interpretantur, Ab Oriente, Edenis; quia hortus ipse non fuit tota ipsa regio Edenis, sed regione tota Edenis comprehensus. Sic enim differunt hortus & Eden inter se, vt contentum & continens. Posteriorem interpretationem ego magis probaverim. Hanc verò fuisse hominis stationem demonstrat Moses altera parte versus, his verbis; *Collocavit ibi Iehova Deus hominem quem finxerat*: puta in loco amœnissimo, instructissimo, circummunitissimo, & regione ad omnem commoditatem & delectationem pertinente. Sequitur particularis descriptio: 1. Commoditatis rerum omnium, versu 9. 2. Commoditatis aquarum ad res omnes quas Deus in horto procreaverat naturali irrigatione fœcundandas, vers. 10. & sequentibus.

Commoditatem rerum omnium primùm generatim seu vniversali propositione, priore parte versus; Secundò, speciatim posteriore, descripsit Moses. Vniversale est, quòd scribit, *Iehovam Deum procreavisse ex terra illa omnem arborem desiderabilem ad aspectum & bonum ad cibum*: id est, voluptati, vsui, & necessitati hominis omnibus modis consuluisse: Arborem autem quum dicit Moses, synecdochicè accipiendum est pro omni planta, vel gignente terra: vt ex antecedente versu apparet, vbi Moses generali verbo est vsus, plantis conseverat. Arborum verò tantùm speciatim meminit, quia hoc genus fuit præstantissimum eorum quæ Deus homini ipsi tunc dederat, suprà cap. 1. versu 29. Speciale est, quòd Moses ostendit arbores duas in horto fuisse positas; quarum prima, arbor vitæ, secunda arbor scientiæ vel cognitionis appellatur. de quarum arborum nomine, vsu, & effectis commodiùs dicturi sumus, quum ad circumscribendam hominis vocationem veniemus.

Sequitur specialis circumscriptio situs versibus 5. in qua Moses hunc ordinem sequutus est, vt 1. Septemtrionalem terminum, versu 10. 2. Orientalem, versu 11. & 12. 3. Meridianum, versu 13. 4. Angulum à Septentrione ad Occidentem expresserit, versu 14. Ad hanc circumscriptionem intelligendam, primò vetus ille error amovendus est, hîc non describi fines horti, sed potius fines regionis Eden, in qua fuit hortus: Quam rem ostendunt verba Mosis in 10. versu, quum ait, *fluvium procedere ex Edene*, non ex horto, *irrigando hortum, & inde*, puta ex Edene, *dividere se fluvium & abire in quatuor capita*, sive fluenta. Primùm itaque nobis de Edene sive de regione tota, posteà de horto in regione Edenis sito dicendum est.

De Edene variæ opiniones jam olim exstiterunt: Alij enim Edenem extra hunc terrarum orbem fuisse crediderunt: Alij fuisse quidem in orbe terrarum: sed nunc ampliùs non esse, quia ademtus fuerit ab orbe terrarum judicio Dei. sed hæc narrationi Mosis ipsius adversantur: qui suo illo tempore populo Dei hæc conscribens, ad rem præsentem, & ad præsentia nomina, denique ad suorum temporum vsum omnia revocavit. Prætereà fidei historiæ tum sacræ, tum etiam exteræ adversatur: Tertio, à Methodio & alijs patribus sententia hæc confutata est. cujus rei fragmentum exstat apud Epiphanium contrà Origenistas. Alij & Edenem & hortum ipsum latissimè in Oriente, terrarum prodigi, diffuderunt per Syriam, Arabiam, & Mesopotamiam. sed hi, dum hæc latifundia Adamo custodienda & colenda tribuunt, non vident se & naturam rerum & commodum communis nostri parentis convellere: cujus exemplo nos docuit dominus naturæ naturam parvo contentam esse. Alij Edenem putant fuisse regionem Damasci in Syria, hortumque in ea statuunt, vbi opidum est Paradisus ab omnibus priscis scriptoribus appellatum.

latum. Itaque hæc recepta fuit apud plurimos Iudæos ſententia: qui Adamum ibi ſepultum fuiſſe narrant, vbi creatus fuerat, & ex eo Dammeſchec pro Adammeſchec appellatam. ſed huic interpretationi neque cum verbis, vtcunque circumagantur, neque cum ſitu Edenis, quia in Scriptura ſacra etiam alibi ponitur, convenire poteſt: Alij Edenem quidem includunt Meſopotamia, ac potiùs Babylonia parte Meſopotamiæ: ſed mutatam putant regionem Edenis, motos fluvios, & totam faciem rerũ diverſam factam diluvio. Sed hęc opinio ſi accipitur, incerta Edenis & fluviorum ſedes futura eſt, quæ duo Spiritus ſanctus per Moſem certò voluit circumſcribi: Secundò verò non dicit Moſes in hiſtoria diluvij, clauſtra aquarum fuiſſe amota, vel diſceſſiſſe terram, & cautes ac montes diſſiluiſſe, ſed tantùm ruptos eſſe fontes, id eſt, obturacula aquarum demota, vt è ſuis ſpecubus exundarent, infra cap. 7. verſu 11. & è diverſo cap. 8. verſ. 2. fuiſſe occluſos fontes abyſſi. Non ergo everſa fuit naturæ ſedes: ſed actio illa ordinaria naturæ conturbata. Alij ad veritatem proximè accedentes Edenem quidem viderunt ſitam eſſe in Babylonia, & duos illos nobiliſſimos fluvios Euphratem & Tigrim hîc ſignificari; ſed in eo aberrraverunt, bona omnium pace, quòd hæc quatuor fluenta, quæ tam religiosè definit Moſes, duobus ſolùm alveis tribuerunt. Quæ interpretatio non reſpondet capitum ſive principiorum appellationi, qua Moſes vtitur. Ad primam igitur quęſtionem de regione Edenis duo pertinent: 1. vt cognoſcatur quænam ſit illa regio: 2. qui fines à Moſe circumſcripti.

De regione vt dicamus paucis, nomen Eden appellativum quidem eſt, delicias & amœnitatem ſonans: ſed propriè tantùm in Scriptura ſacra duobus locis tribuitur homonymως. Nam aliud eſt Eden ſitum in Telaſſar, id eſt, in ſuperiore parte Chaldææ, vt διακριτικῶς appellatur 2. Regum 19. 12. & Iſai 37. 12. Aliud verò Eden in

Cœle Syria ad Damascum, cujus meminit Amos 1. versu 5. Hic autem locus de Edene, qui in Telassar est, id est, in superiore Chaldææ tractu accipiendus est: quemadmodum natura loci, circumscriptione Mosis, & plurium Sacræ scripturæ locorum comparatione ostenditur. Natura loci; nam inter omnes historicos convenit amœnissimum & feracissimum non solùm totius Orientis agrum, sed terrarum orbis esse Babylonicum, quà ab Euphrate & Tygri irrigatur. Babylone, inquit Plinius lib. 18. Nat. hist. cap. 17. segetes bis secant, tertiò depascunt: alioqui enim folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquagesimo fœnore messes reddit exilitas soli; verum diligentioribus cum centesimo quinquagesimo: neque est cura difficilis quàm diutissimè aqua rigandi, vt præpinguis & densa pubertas diluatur, id est, tam pinguis & vber est illius soli gleba, vt fluviorum Euphratis & Tygris exundatione sit opus ad densam illam vbertatem diluendam atque evehendam. Sic enim apud Solinum oportet legi cap. 50. Limum enim Euphratis Tygrisque non invehunt, sicut Nilus, sed abstergunt rarefaciuntque solum: quod alioqui adeo fermentatum est & densum, vt ne terra quidem ipsa herbas soleat gignere. Hæc Plinius ex Theophrasto lib. 8. de plantis. Scripturæ testimonijs, quia & regio circumscribitur ijs locis quos antè adduximus, & amœnitas commendatur Isa. 51. & negotiationis commoditas atque potētia, & Mesopotamiensibus annumeratur Ezech. 27. 23. & 28. & 31. 16. Postremò autem Mosis circūscriptio omnem dubitationem eximit. Nam disertè ostēdit fluvium vnum esse, qui in Edene vnus & idem quadripartitus est. Quæ res non nisi Babyloniæ & quidem summę illius parti attribui potest. Nam alioqui Babylonia, Ptolemæo teste in Geographicis, tribus partibus distinguitur. Summa est, quam vocant Auranitidem ad Euphratem fluvium contermina Mesopotamiæ. Mediana, quam vocant Chaldæam ad Arabiam desertam: & infima, quam vocant Amor-

Amordaciam ad sinum Persicum. Est ergo Eden Auranitis, vel potiùs Audanitis, nisi me conjectura fallit; vt perfacilis est in Græca scriptura literæ ρ in δ mutatio.

Iam verò restat, vt de fluentis dicamus, & demonstremus: 1. Euphratem quadripartitū esse: 2. quæ partes quibus Mosis vocibus conveniant. Euphraten alij bipartitum narrant, alij tripartitum, alij quadripartitum.

Qui bipartitum aut tripartitum dixerunt, in eam sententiam venerunt, quòd illos aquarum ductus non naturales Euphratis, sed manu factos arbitrarentur, nempe vt Euphrates cum Tygride fluvio corrigaretur: prout fit duobus alveis. Nam propterea quidam suspicati sunt alveum illum qui bifidatus in Tygrim influat, dictum esse βασίλειον, id est, regium, quòd regum opere deductus esset: Igitur qui duos tantùm alveos Euphrati tribuerunt, quos naturales putabant esse; intellexerunt duos alveos illos, quorum primus apud Ptolemæum βααρσάρης, apud Strabonem μααρσάρης: apud Marcellinum Marsias: apud Plinium Narragaz appellatur: Posterior κατ' ἐξοχὴν nomen Euphratis retinet, qui vrbem Babylonem & Otrim permeat, suoque ostio in sinum olim Persicum influxit, donec eum præclusere Orcheni & accolæ rigantes agros; adeò vt jam non nisi per Tygrim feratur in mare, teste Plin. lib. 6. Nat. hist. cap. 26. & Dione in Trajano. Quam in sententiam illud Ammiani Marcellini oportet accipi, ad Teredon post jacturas multiplices pelago misceri Euphratem. Qui verò tres alveos Euphrati tribuunt, comprehendunt tertium illum alveum trans Babylonium, qui ad vicum Massicæ à principe illo alveo Babylonem petente dividitur. Hunc autem alveum Ptolemæus nominat βασίλειον, id est, regium flumen, vt interpretatur Ammianus lib. 23 de quo Plinius lib. 6. cap. 26. Sunt qui tradunt (inquit) Euphratem Gobaris præfecti opera deductum, vbi eum diximus findi, ne præcipite cursu Babyloniam infestaret: ab Assyrijs verò vniversis appellatur

Armalchar, quod significat regiũ flumen. sed hic, judicio meo, Neharmalcha legendum est, & adstipulãte veritate. Quartus alveus non aliud nomen habet apud authores quàm Basilij, id est, regij fluminis, quia Basilius fluvius Euphrates appellatur inde ab eo loco vnde Babylonem vrbem petit secundus alveus. Basilius verò in duo fluenta distinguitur, quorũ vnum suprà Seleuciam cũ Tygri confluit, alterũ verò sub Apamea: ac proinde insulã Mesenen efficit à Seleucia ad Apameam vsque, Basilio Euphratis, & Tygri fluvio circumclusam. Discrimen illud est inter veterem hanc descriptionem, & recentiorum Geographorum omnium; quòd Geographi & scriptores Ethnici putantes superius illud fluentum Basilij, quod supra Seleuciam Tygrim petit, manu factum & elaboratum esse, totam illam insulam Euphrate & Tygri circumseptam Mesopotamiæ tribuerunt: Moses verò ostendens alveum illum Euphratis naturalem esse, hanc quoq; insulam Audanitidi, id est, regioni Edeni accensuit: quapropter etiã Seleucia Babylonia vel Babylonica ab authoribus quibusdam appellatur, Mesopotamiensis (si bene observavi) nusquam. Sic verò dividi Basilium in duo fluenta historici omnes testantur, & disertè ex Ptolemæo constat in descriptione tum Babyloniæ, tum etiam Mesopotamiæ, vbi his verbis vtitur quæ sunt evidentissima. In Babylonia quidem adverso flumine procedens, *διαρρέουσι δὲ τὴν χώραν ὅ,τε Βασίλειος ποταμὸς, καὶ ὁ διὰ τῆς Βαβυλῶνος ῥέων, καὶ ὁ καλούμενος Βααρσάρης.* In Mesopotamia verò ordinem persequens velut secundo fluvio, *ἡ τοῦ Εὐφράτου θέσις,* inquit, *καθ᾽ ἣν σχίζεται ὥς τε τὸν διὰ Βαβυλῶνος ῥέοντα, καὶ τὸν διὰ Σελευκείας, ὧν ὁ μεταξὺ καλεῖται Βασίλειος ποταμὸς,* &c. His positis, videndum est quæ partes Euphratis quibus nominibus à Mose signentur: id autem nos sigillatim explicandis versibus ostendemus. Primum igitur in versu 10. generatim ostendit Moses se de fluvio vno, qui tandem in quatuor partes dividitur, hoc loco agere: *Fluvius*, inquit,

pro-

procedit, non autem oritur: Nam de ortu Euphratis ex historicis satis constat. Procedit autem *ex Edene*, vel secundùm Edenem (id enim plerumquè significatur præpositione illa apud Hebræos) irrigando hortum, putà qui in Edene est (Neque enim putandum est hortum illum tam fuisse amplum, vt singulis fluentis, de quibus posteà Moses, fuerit irrigatus) *Et inde*, id est, ex quo processit in Edenem, non autem ex horto (Nam relativum ad vocem remotiorem pertinet) *dividit se* Euphrates, *estq́ in quatuor capita*, id est, ostia vel principia alveorũ, in quos alveos Euphrates quadripertitus est.

Singularis verò capitum horum descriptio sequentibus versibus à Mose ordine proposita est. Primum igitur caput vel fluentum Euphratis distinguitur partim nomine, partimque situ, versu 11. & 12. Nomine, quum dicit Moses, *Nomen primi est Pischon*. Hic autem alveus est Euphrates vel Basilij inferior; qui sub Apameam in Tygrim delapsus ei nomen adimit: vnde factum est vt Euphratis alveus cum Tygri junctus inde ab Apamea ad sinum vsque Persicum, dictus fuerit ab incolis Pasitygris seu potiùs Pisotygris; non de nomine Pasinis aut Spasinis Sogdonacho nati (vt historici fabulati sunt) sed à Pischone Euphratis alveo, qui in Tygrim influens nomen suum singulare habet. Atque hic terminus est Babyloniæ ad Orientem subsolanum & meridiem versus. Situs quem describit Moses, rem ita habere indicat, 1. à nomine adjacentis regionis. 2. autem à rebus quæ in regione illa fermè propriæ & singulares sunt. De regione adjacente sic loqitur Moses: *Hic alveus est qui alluit totam regionem Chavilæ*, id est, protenditur secundùm longitudinem totam Susianes inde fermè ab aris Herculis ad sinum vsque Persicum, atque in eum defertur multis ambagibus. Nam Chavila vox quidẽ ὁμώνυμος est: qua primò nomen viri propriũ significatur, Gen. 10. 10. & 28. Secũdò nomẽ regionis, tùm Abylenes in Coele Syria, tũ Susianes

in fronte Persidis, vbi oppidum Babytace à Geographis statuitur, & intima regio Elymaïs, in qua optimum aurum inveniri testis est Plinius. Nam quòd regio illa Susiane dicta est, id posteà nomen accessit de nomine Susan vel Susorum regiæ civitatis & metropoleωs ab amoenitate dictę. Res propriæ & peculiares regionis Chavilæ tres à Mose adferuntur; sed ita vt dicantur singulæ per comparationem earum regionum quæ Israëlitis innotuerant; nempe aurum, Bdellion, & Sardonyx: quæ quia in regione Susianes abundare testantur Strabo, Solinus cap. 68. & Plinius lib. 6. Natur. hist. cap. 27. non dubitamus quin Moses de hac regione senserit. Aurum autem non vulgare esse, quod in Susiane invenitur, sed præstantissimum in suo genere, ostēdit Moses principio versus duodecimi. De Bdellio similiter testes ijdem authores. Nam arborem & lignum Bdellium hoc loco significari, nō autem gemmam vel lapillum vllam, tum ex aliarum linguarum comparatione deprehendimus, tùm etiam ex eo quòd Moses nomen lapidis vel gemmæ subjicit; quod certè fuisset præpositurus, si Bdellium esset de Gemmarum genere. Tertium verò, nimirum, Gemma quam Hebræi appellant Schoam, vulgò interpretantur onycha, quæ Gemma est vilissima, & locis quàm plurimis invenitur, & quidem præstantior alijs in locis quàm in Susiane. Alij sardam exponunt, alterum vile gemmarum genus: Nos potiùs Sardonycha, tum quia alijs in locis, vt Exod. 28. Græci & alij ita interpretati sūnt, tum quia celebratur ea regio & commendatur Sardonyche, vt ex Plinio & Solino constat ijs locis quos antè adduximus.

Secundum fluentum 13. versu, vel secundus Euphratis alveus circumscribitur duobus modis; Proprio nomine, & adjacentibus. Proprium nomen illius fluenti dicitur esse *Gichon*, vulgo Gehon: quod nomen itidem est homonymum. Est enim Gichon fluvius ad Ierusalaima, à commoditate appellatus, quòd rigandis suburbanis hortis

com-

commodè inserviret, ducereturque. Eſt item Gichon Euphratis alveus citimus reſpectu noſtri, ſimiliter ex eo appellatus, quòd à Chaldæis totus fermè deducebatur rigandis agris, atque in ijs quaſi deperibat ad commoditatem fructuum. Quamobrem etiam Chaldæis ab vſu illo Naharſares, id eſt, fluvius diductus, appellatur: Ptolemęo corruptè Baarſares, Straboni & Plinio Maar ſares; Ammiano corruptiùs Marſias. atque hic Occidentalis Chaldææ inferioris terminus. Situm verò fluenti iſtius ab adjacente regione, quam alluit, deſcribit Moſes. Sic enim interpretamur verbum Hebræum ambiendi: quod pro ratione locorum modò ſignificat circumire, modò cum inflexu & ambitu, quamvis citra circuitum, partem regionis alicujus deſtringere, vt Numer. 34. Ioſue 15. & alibi paſſim. Regio autem quæ hoc fluento alluitur; à Moſe dicitur terra Cuſchi: cujus nominis interpretatio plures fefellit, quia vox item eſt homonyma. Cuſch enim aut eſt nomen proprium viri, Gen. 10. & alibi; aut appellativum ex proprio ductũ, Aethiopem ſignificãs; aut denique proprium regionis nomen, deſumtum de appellatione illius Cuſchi, cui primus tractus meridianus ceſſit in diviſionẽ terræ. Huic enim Cuſcho filio Chami, quum poſteri Noachi ex regione Babyloniæ judicio Dei diſſiparentur, ceſſit in hæreditatem meridianus tractus reſpectu Babyloniæ.

Ac proinde in Scriptura ſacra appellatur de nomine Cuſchi, primùm infimus ille tractus ad ſinum Perſicum, qui ſubeſt Chaldaicis paludibus: Secundò Arabiæ tres, deſerta, petræa, & felix: tum verò Æthiopia, in quam poſteri Cuſchi tranſnavigaverunt ex Arabia felice, quæ anguſto freto ab Æthiopia & Troglodytica regione diſtinguitur. Quamobrem optimè Moſes hoc in loco vniverſalem particulam adjecit: *Alluit vniverſam regionem Cuſchi*, id eſt, Babyloniæ partem quæ appellatur Eden, & duas reliquas ab omnibus conterminis Cuſchi partibus dividit: ſive ad Arabiam deſertam ſive ad ſolitudines illas Chal-

dræ pertineant, quæ intercurrunt inter paludes Chaldaïcas & sinum Persicum.

Tertium & quartum fluentum exponitur in versu 14. Tertium quidem accuratiùs, quia ad terminum Babyloniæ pertinet: Quartū verò leviùs, quia mediam regionem dissecat, non autem cōstituit terminū illius ex vlla parte.

Tertium igitur fluentum distinguitur nomine, & situ. Nomen est *Chiddekel*, quo propriè significatur fluvius Tygris Mesopotamiam ab Assyria, & Susianes principium à superiore Chaldçæ parte disterminans: sed nomen illius hoc loco æquivocè de superiore *βασιλείου* alveo in Tygrim confluente dicitur, quia videtur potiùs Tygris in alveum Euphratis incurrere, quàm Euphrates in Tygrim: ac proinde alveus ille Tygridis nomen obtinet, & ita à Plinio autoribusque alijs appellatur, inter Seleuciam & Ctesiphontem interfluens. Esse autem Chiddekel Tygridis Hebræum nomen, quod à pręcipitibus & velocibus aquis appellatur, ostendit illa veterum, & altera quoque in memoria nostra accolarum appellatio. Nam veteribus Diglito appellatus est, vt narrat Plinius lib. 6. Natur. hist. cap. 27. Accolis verò etiam hodierno die Diglath vel Tiglath appellatur. Situs commodè his verbis describitur: Est fluvius *qui procedit ab Oriente Assyriam versus*: id est, alveus ille est, qui angulum Septentrionalis termini regionis Babyloniæ constituit, quà ad Orientem spectat. Quia verò hos tractus Hebręi solent de nominibus regionum, opidorum, locorumque circumscribere, propterea adjecit Moses, *Ad Orientem Assyriæ*, id est, ad tractum illum Babyloniæ qui Assyriæ extremæ objectus est.

Restat quartū fluentū vel quartus alveus nomine tantùm discretus, quia nihil ad circumscriptionem terminorum pertinet: sed mediam regionem (vt antè diximus) secat, & nomē Euphratis obtinet *κατ' ἐξοχὴν*: vt ex his Ammiani verbis lib. Hist. 23. constat. Perfluunt autem has easdem terras potiores ante alios amnes ij quos prædiximus, & Mar-

& Marsias, & flumen regium, & Euphrates cunctis excellens, qui tripartitus navigabilis per omnes est rivos, insulasque circumfluens, & arva cultorũ industria diligẽtiùs rigans, vomeri & arbustis gignẽdis habilia facit. Cùm igitur ex præcedentibus de regione Edenis constet, superest altera quæstio de situ horti in regione Edenis. Nã qui totã regionem Edenis pro horto accipiunt, toto cœlo errant, & verbis Mosis evidentissimè confutantur, qui non dicit hortum Edenem esse; sed vbiq; hortũ in Edene nominat: In Edene puta, tanquã in loco continente. De situ autem horti vel sede illius, de spacio, modo, & cæteris, cùm ampliùs Moses hoc loco nõ scripserit, neq; apud alios authores quicquam certi deprehendi possit: nobis quidem non libet divinare, aut in conjecturis probabilibus investigandis laborare: Si quid tamen conjectura in hoc argumento præstare potest, vnicã nobis conjecturã suppeditare videtur Moses in fine capitis tertij, quũ narrat Deum in anteriore parte, id est, in aditu vel accessu horti Edenis Angelos collocavisse & flammantem gladiũ sese vibrantem & huc illuc versãtem ad custodiendã viam quà iri potuit ad arborem vitæ. Scribunt enim historici, & apud Plin. lib 2. Nat. hist. cap. 106 legimus hæc verba: Campus Babyloniæ flagrat quadã veluti piscina jugeri magnitudine. Sed hæc ex conjectura & problematicè à nobis sunto posita. Non enim me movet, quòd pleriq; putaverũt rem hanc fuisse temporalem & post aliquot annos, aut certè post Adami mortem, aut diluvio ad summũ exundãte periisse, quum nusquã illud à Mose dicatur, aut vllo Scripturæ sacræ testimonio confirmari possit: Illud verò magis ad Dei gloriam videatur pertinere, si permaneat iræ ipsius documẽtum quàm si transiens dicatur esse. Atque hîc admirabilis est Dei providentia, qui ex eo ipso fermè loco vbi tantum gratiæ suæ documentum principiò instituerat, voluit deinceps in populũ suũ exundare severissima judicia, eúmq; ex eo tractu vbi Adam sibi afflictionem creaverat, & vnde ejectus fuerat, affligere.

15 *Assumpsit igitur Iehova Deus Adamum: eumq́; statuit in horto Hedenis, ad colendum eum, & ad servandum eum:*

16 *Interdixitq́; Iehova Deus Adamo, dicendo; de fructu quidem cuiuslibet arboris huius horti liberè comedes:*

17 *Sed ex arbore scientiæ boni & mali, ne comedas de fructu eius: Nam qua die comederis ex ea, omnino moriturus es.*

Secundam hujus capitis partem diximus esse de vocatione officioq́ue hominis vniuscujusque, ex quo à Deo conditus est: Quem sermonem quum instituisset Moses in 8. versu, posteà ad evidentiam historiæ interposuisse narrationem de loco vel statione hominis ὑπερβαλικῶς à versu 10. ad hunc vsque, vt meliùs intelligeretur quæ fuerit vocatio prima officiumq́ue hominis, & historia lapsus defectionisq́ue illius; prætereaq́; judiciorum Dei in peccatores & promissionum in credentes occasio meliùs animadverteretur. Iam igitur per Epanalepsin Moses exposita statione hominis, regreditur ad officij humani explicationē. Dixerat enim versu 8. posuit illic hominem quem formaverat; nunc item redit eò, & exponit versu 15. Exponit autem istud tribus modis: 1. Quia ostendit hominem aliunde translatum esse, & proinde alibi conditum quam in horto: 2. fuisse in horto collocatum. 3. non frustrà, sed ad officium suum totum in horto perfungendum. Officiorum autem quæ homini attribuit Deus genera sunt duo: vnum corporale & transiens, hoc versu: Secundum spiritale & æternum: Prius ad vitam præsentem, posterius ad pietatem & pietatis officia, cui promissiones vitæ præsentis & futuræ factæ sunt, pertinens: duobus versibus sequentibus.

Prius vocationis genus homini imperatæ duobus verbis à Mose exponitur, *colendi terram & custodiendi*: id est, tùm labore acquirendi, tùm res labore partas conservandi ad vsum & necessitatem præsentis vitæ. Sic enim synecdo-

ecdochicè ab vno & singulari exemplo Adami ad omnia posterorum ipsius opera diffundi necesse est horum verborum interpretationem. Non enim quia Adam fuit agricola, Deus omnibus posteris mandat vt sint agricolæ; sed simpliciter id docet Adami exemplo, oportere vt homo quisque se occupet in actionibus legitimis. Actionum autem legitimarum hæc duo sunt genera, Labor acquirendi, & labor conservandi. Quamobrem cùm primi parentes illi in sancta illa constitutione corporali hac vocatione fuerint obstricti: sciendum est omnes posteros æquè ad vtrumque vocationis genus obligari, & iniquè facere qui pro labore, cultura, & occupatione sua ignavum otium substituunt, eoque delectantur; Et qui pro eo quod res partas docemur conservare, profundũt eas perduntque temerè: cùm istos (vt loquitur Apostolus Ephe. 4.) potiùs manibus suis laborare oporteat, vt ijs qui opus habent, de abundantia ipsorum subministretur. Sequitur alterum vocationis genus, nempe qua homo ad fidele obsequium voluntatis Dei, & ad studium æternæ vitæ provocatur. Ad rectam verò vocationis hujus intelligẽtiam duo distingui necesse est, donum, & vocationem: donum enim ad vocationem obligat, & hominis obsequium in vocatione probat aut improbat. Vtrumque verò; donum inquam & vocationem, re & signo à Deo homini exhibitum est. Nam vt de dono dicamus priore loco, re exhibitum est Adamo donum, quum Deus fecit eum ad imaginem suam, secundùm suam similitudinem, suprà cap.1, ver.26.27. & quum inspiravit in nares ejus spiritum vitæ, suprà versu 7. quod donum quia antè explicavimus, jam breviores in hoc argumento futuri sumus.

Symbolo quoque donum suum exhibuit Deus; & consequentia ipsius eventa in vtramque partem Adamo demonstravit, positis in horto duabus arboribus, quarum Moses meminit versu 9. nimirum arbore vitæ, & arbore scientiæ boni & mali. Ostendit enim his symbolis Domi-

nus,sic datam esse in creatione homini imaginem Dei,vt ea vti vel abuti potuerit: ex cujus sancto legitimóque vsu vitam consequuturus esset; ex abusu verò præsentis boni & successuri mali experientiam. Hominem itaque tanquam in bivio fuisse constitutum in prima illa creatione, vt libero arbitrio suo aut benè vteretur ad vitam,aut abuteretur malè maximo malo suo. Hoc donum atque hanc mutabilitatem doni symbolis demonstravit Deus, eventaque præfiguravit eis: Donum, inquam, imaginis suæ, arbore vitæ: liberum arbitrium & voluntatis mutabilitatem,eo quòd homo inter duas illas arbores constitutus est: Eventa, ex vtriusque arboris appellatione. Qua ex re facilè animadvertimus quàm ineptè judicent de Deo ij qui arborem scientiæ boni & mali in horto fuisse positam conqueruntur, & Dei partes fuisse argumentantur ne occasionem istam homini offerret. Nam illi dum ita de symbolis conqueruntur, de veritate naturæ nostræ conqueruntur, nempe quòd homo non sit adæquatus Deo & immutabilis. Nihil enim per se est simplicissimum, æternum, & immutabile, nisi vnus Deus; qui quum hominem permisit sibi, injuriam non fecit homini, sed gloriam suam asseruit sibi. Ex his rebus nomina arborum imposita sunt divinitus, & indicta homini; vt eò religiosiùs de eventu in vtramque partem cogitaret. Arbor enim vitæ non est eò dicta, quòd aut per se, aut per Deum in se vitam habuerit; sed quod symbolicè & sacramentaliter vitam significaverit, quam homo erat victurus, si in obsequio Dei constitisset: vt contrà arbor scientiæ, id est, experientiæ boni & mali fuit appellata, non quod hæc duo in se aut per se habuerit; quæ duo in vno eodemque subjecto secundùm idem inesse non possunt; sed quod homini eventum significaverit consequuturum ex *ἀπειθείας*, id est, inobsequentia vel immorigero facto ipsius.

Atque

Atque hæc de dono, quod Deus re in hominem contulerat, & symbolis ostenderat. Ex dono autem necessariò sequitur obligatio donatarij in donatorem, id est, ejus qui donum accepit in eum qui contulit: cujus obligationis vi conficitur hominis vocatio ex mandato Dei tanquam donatoris. Quod mandatum Moses duobus versibus exponit puta 16. & 17. Cùm itaque in homine donum fuerit imago Dei, & in res omnes creatas quæ in terra sunt authoritas; quo nomine homo Deo soli obligatus est; restat vt videamus, quà circumscriptione & quibus cancellis Deus, pro sua authoritate in hominem, officium illius spirituale descripserit. Ac officij quidem sancti & spiritualis partes duæ sunt, nempe vt homo à malo abstineat, & se occupet in bono; quibus finibus obsequium quod debemus Deo concluditur: Prætereà hujus officij libera potestas à creatione penes hominem fuit: sed in hoc interdicto Deus meminit tantùm partis alterius, nempe vt homo à malo abstineret; Alteram verò reticuit; quia homo ex facto versabatur in bono: & imaginem Dei habebat in justitia & sanctitate veritatis. Verumtamen in hoc interdicto non est leviter prætereunda illa Dei misericordia qua ante interdictum istud adhibuit προθεραπείαν versu 16. posteà demum sequente versu interdictum subjicit. Προθεράπεια autem illa quam diximus continetur his verbis: *De omni arbore*, id est, de fructu arboris cujusque, *quæ in horto est liberè potes comedere*, quasi dicat: Non est cur ægrè feras, Adam, si quid fortè pro autoritate mea, tanquam Deus creator & Dominus tuus, excepero: Nam omnia quæ in hoc horto vides, tua sunt & possessione & vsu. Quapropter cùm tam multa, tam amœna, vtiliaque tibi sint exposita beneficio meo, certè pro jure meo officium illud à te postulavero, ídque non meâ causâ, sed tuâ, vt ab vsu arboris istius abstineas: quæ testis quidem est

& documentum aſpectabile libertatis tuæ; ſed tamen, ſi vtaris contra interdictum meum, inſtrumentum perditionis tuæ. Non enim arbor cauſa efficiens perditionis fuit, ſed homo ipſe libêra voluntate ſua malè vtens: cujus voluntatis partes duæ, & eventa ex vſu earum conſequentia duabus illis arboribus ſignificabantur. Sequitur ergo interdictum verſu 17. cujus interdicti partes ſunt duæ: Nam priore membro verſus interdicit vſu illius fructus; poſteriore, pœnam denunciat. Cùm autem Deus interdicit fructus illius vſu, id ſymbolicè accipiēdum eſt. Nam cùm arbor illa ſymbolum fuerit alterius illius partis ad arbitrium liberum pertinentis, nimirum declinationis in malum ἐξ ἀπειθείας ſive ex inobſequentia, Deus fructu illius interdicens ſymbolicè, interdixit re ipſa declinatione in malum; & homo contra Dei interdictum vtens fructu arboris illius, ita ſymbolicè declinavit in malum, vt re ipſa per ſuam ipſius inobedientiam in malum declinaverit. Neque enim arbor naturâ mala fuit, aut fructus illius; ſed inſtitutione Dei ſignificavit malum, à qua inſtitutione deflectens homo ſibi accerſivit malum.

Non fuiſſe malam oſtendit Moſes in fine capitis primi, dicens, Deum aſpexiſſe omnia quæ fecerat, & bona fuiſſe valdè. Inſtitutione verò vſum illius fuiſſe malum homini, cùm hoc ipſo interdicto, tùm eventu commonſtratur. Quamobrem & inepta ſimul & blaſphema eſt eorum ſententia, qui propter hujus arboris fructum, ſive nux fuerit, ſive pomum, exarſiſſe Dei iram in hominem objecerunt.

Sequitur pœnę denunciatio adverſus inobſequentem, his verbis: *Nam qua die comederis ex eo fructu, vtiq; morieris.* Senſus eſt, Te quidem, ô Adam; æquum & juſtum eſt abſtinere à fructu iſtius arboris meâ causâ, quia pro authoritate interdixi tibi, & tuum eſt parêre mandato pro officio tuo: ſed tamen quia non mea intereſt, ſed tuâ, vt à fructu iſto abſtineas, hæc ſaltem cauſa te arceat à communione & vſu iſtius fructus, quòd ex quò attigeris & guſtaveris

præter

præter interdictum meum, gravissimum malum facto tuo tibi comparaveris. Atque hoc malum Deus pronunciat moriendi verbo. Quamobrem de morte hominis, quam Deus his verbis denunciat, paucis dicẽdum est.

Mors nihil aliud est, nisi privatio vitæ. Vita hominis (vt ex antecedentibus versibus modò intelleximus) altera corporalis, altera spiritualis est. Corporalis, qua anima corpori adunata personaliter ipsum vivificat: Spiritualis, qua Deus animæ gratiosè præsens ipsam vivificat, formatque ad imaginem suam, & cõtinet, quemadmodum optimè multis locis in Ioan. dixit Augustinus, corporis vitam esse animam, vitam animæ Deum. Ex contrario igitur cùm mortem homini inobsequenti Deus denunciat, privationem denunciat vtriusque vitæ, nempe & corporalis, & spiritualis illius: quam privationem homo peccato suo sibi accersivit injustè, Deus verò justè in homine effecit judicio suo. Ac priorem quidem privationem, corporalis vitæ, & posteriorem quoq; spiritualis illius, Deus simpliciter denunciat; sed tamen omnia conjuncta intelligenda sunt, & antecedentia, & consequentia. Vt verbi gratia, mortem corporalem comitantur vanitas, ærumnæ, & signa innumera mortem antecedẽtia, similiterque in spirituali vita. Atque hîc præcisè quidem sententia mortis à Deo pronunciata est: sed duo tamen singularia misericordiæ divinæ documenta excipienda sunt: vnum, quòd Deus nec corpus Adami, nec animam statim mancipavit morti vt expers vitæ omnino esset; sed in corpore vitam, quamvis miseram; in anima reliquias suæ imaginis, quamvis tenuissimas, conservavit: Secundum, quòd spem restitutionis non præscidit planè, sed eam consilio suo in homine sustẽtavit, vt cap. tertio exponitur. Neque verò illud cum hac sententia pugnat, quòd nec statim mortuus est, nec dejectus de omni exspectatione vitæ. Nã Deus quum hoc pronunciat, *Omnino morituru es*, respicit ad jus ipsum, ad hominis factum, & ad eventum ex jure

consequuturum, nisi intervenisset benedictum semen; Perinde est igitur ac si dixisset: Iure ex sententia mea tuo ipsius facto eventus hic in te, quãtum in te est, consequuturus est, quòd mortis filius eris; sed gratiâ meâ propter filium dilectionis meæ nec statim moriturus es, nec omnem spem salutis & vitæ amissurus: sunt enim denunciationes Dei in homines hypotheticæ, vt legis verba ostendunt passim; sed quarum hypotheses suæ promissioni & judicio reservat Deus.

18 *Dixerat autem Iehova Deus, non bonum est hominem esse solum; faciam ei auxilium simile ipsi.*

Tertiam hujus capitis partem diximus esse de hominis vocatione ad vitam conjugam: quam de industria in hunc vsque locum rejecit Moses, vt viam commodiorem sterneret ad capitis sequentis historiam. Ad hujus autem loci de vita conjuga explicationem, quatuor partes à Mose potissimùm ordine proponuntur: 1. est de consilio Dei, & causis ex quibus conjugam vitam instituit humano generi, versu 18. 2. de occasione, quam Deus obtulit pro infinita sua sapientia, vt conjugam vitam hominis institueret, versu 19. & sequente: 3. de facto & modo illius, id est, quomodo Deus fœminam viro conjugem subministraverit, versu 21. & 22. 4. est qui eventus ex ea conjugatione & copula divinitus instituta fuerit consequutus, reliquis versibus.

Primus locus, de consilio & causis conjugalis vitæ in genere humano statuendæ, versu 18. exponitur distinctè; consilium quidem priore membro; Causa verò illius cõsilij, posteriore. Etsi vtrumque membrum conjunctim hæc duo ita complectitur, vt non incommodè posterius prioris interpretamentum appellari possit. Ac primùm consilij author & causarum demonstrator idem fuisse, qui creator fuit, à Mose traditur, nempe *Iehova Deus.* Consilij modus verbo *dicendi* exponitur: quod verbum quoties de Deo prædicatur, quomodo sit accipiendum,

sive

sive apud se statuat, sive enunciet foris, cap. primo exposuimus. Posteà verò summa consilij observāda est his verbis: *Non bonum est hominem esse solum*. Quibus in verbis pro subjecto illud membrū sumendū est: *Hominem esse solum*: Prædicatū verò vel attributum est; *Non bonum esse*. Quid autem hoc membrū sibi velit, *hominem esse solum*, primùm ex ipsa hypothesi & naturæ lege satis constat; Deinde ex aliorum sacræ Scripturæ locorum comparatione. Hypothesi: Nam Deus hîc Adamum respicit consorte destitutum, quam cæteræ animantes habuerunt in sua specie: Naturæ lege, quia lex cæteris animantibus lata fuerat de consortio ac propagatione suæ speciei. Sacra Scriptura denique, vt Eccles. 4. & alijs locis. Itaque loquutio hæc; *hominem esse solum*, secundùm quid (vt loquuntur) accipienda est, pro eo quod Græci dicunt *ἄγαμον* sive *ἄζυγον* & sine conjuge: prædicatum est, τὸ ἀγαμὸν hominis esse non bonum. Nam quod plerique accipiunt negativè, non autem privativè prædicatum istud; id est, interpretantur Non est bonum, pro eo quod nos dicimus, est nō bonum; id multis de causis nobis quidem satis probari non potest. Tam enim fuerunt decepti, qui necessitatem conjugij ex hoc loco simpliciter impositam fuisse affirmaverunt, quàm qui ex illo Pauli 1. Cor. 7. intulerunt necessitatem virginitatis sive *ἀγαμίας*. Quemadmodum autem esse non malum, & non esse malum, esse non pudentem & esse impudentem inter se differunt: sic etiam differunt non esse bonum, & esse non bonum. Ac proptereà iniquè argumentati sunt, qui non bonum exponunt simpliciter malum, quum nunquam ea sit natura privantium prædicationum, nisi contraria (vt loquuntur) sint immediata. Qua responsione corruunt eorum omnium argumentationes, qui arreptis ejusmodi sacræ Scripturæ locis, aut conjugium, aut cœlibatum præcisè imperare voluerunt. Atque hoc primum genus est Amphilogiæ in hac prædicatione,

Alter prætereà error in hac prædicatione ortus est, propter nominis *bonus* æquivocationem. Nam bonus bifariam accipitur & opponitur malo: 1. ratione Iuris. 2. ratione facti vel commoditatum ad res factas faciendasque pertinentium. Ratione Iuris, bonus & malus idem fermè significant ac justus & injustus, Iuri conveniens aut adversans.

Ratione facti vel commoditatum ad facta pertinentium, res bona dicitur quæ ad vtilitatem vel honestatem commoda est; vel quæ ratione juris aut facti communiter est necessaria. Ex hac varia interpretatione boni, error consequutus est eorum qui necessariam legem aut conjugij aut cœlibatus, freti hoc loco & alijs Scripturę sacrę, asseruerunt. Bonum autem hoc in loco non dici propriè ratione juris ostendunt antecedētia & consequentia: Antecedentia cap. 1. versu 28. vbi cæterarum animantium quæ se coram Adamo stiterunt, conditio narratur, & maximè vbi vxorem sibi datam gratulatur Adam, versu 23. & 24. Sequitur ergò cum τὸ ἀγαθὸν Deus esse non bonum pronunciat, respicere ad commoditatem hominis, honestatem, vtilitatemque, & quidem necessitate quadam conjunctam ad propagationem generis. Commoditatem honestatemque demonstrat reliquarū animantium, quæ homini parebant, analogia. Vtilitatem necessitatemque vocatio, in qua hominem instituit Deus.

Vocationis autem à Deo imperatæ tres loci antè sunt positi, & ad eam fœmina viro adjutrix data est. Primus locus est ad speciei conservationem, liberorum procreatio, & conjuncta procreationi omnia parentum in liberos officia. Secundus & tertius locus ad individua singula pertinent, nempe corporalis & temporalis vocatio, ad vitam hanc tolerandam, versu 15. & spiritalis æternaque ad Deum sancta fide & obsequio glorificandum, versu 16. & 17. Respectu hujus vocationis cùm ad speciei conservationem, tùm ad salutem singulorum præsentem atque

æternam

æternam pertinentis, Deus causam explicat evidētissimè posteriore membro, cur fœminam viro dādam esse judicaverit. *Faciam*, inquit, *ei auxilium simile ipsi*. Quum enim auxilium appellat, 1. supponit illud quod antè dictum est, viro suam vocationem esse. 2. viro in vocatione sua incumbenti fœminam adjumētum esse. 3. Neque solùm adjumento esse; sed si quis fœminæ conditionem animadvertit, eam Dei & naturæ lege nihil aliud esse quàm viri adjumētum, putâ tum ad communem generationem ex creationis instituto, tùm ad vitæ præsentis commoditatem & venturæ cœlestis subsidium, ad cujus spem illa pariter cum viro vocata est. De hoc adjumento tria distinctè à Deo proponuntur. 1. Deum creatorem esse adjumenti illius à principio opificem, quemadmodū etiam inde ab orbe condito (vt sapiens loquitur) fœmina bona est à Domino. 2. formam illius necesse est observari ex verbis Domini, nempè similem esse viro, & ad speciem eamdem pertinere. 3. Finis tenendus est, illam viro, id est, viri causa fuisse factam, vt commodissimè exponit Apostolus 1.Cor.11. Et 1.Timoth.2.

19 *Finxeratq; Iehova Deus è terra omnem bestiam agri & omnem volucrem cœli, quas adduxerat ad Adamum vt videret quî vocaret ipsas: & quomodocunque eas animantes Adam vocaturus esset, id eis nomen esset:*

20 *Vocaveratq; Adam nominibus omnia iumenta & volucres cœli, & omneis bestias agri: Adamo verò non aderat auxilium simile ipsi.*

Exposita causa legis conjugalis à Deo generi humano imperatæ; sequitur occasio qua Deus vsus est, vt suam providentiam viro demonstraret, eumque magis afficeret conscientia necessitatis suæ de simili sibi adjumento divinitus obtinendo. Hujus occasionis narrationem instituit Moses versu 19. & 20. ex comparatione minoris, in hunc modum: Potentioribus tam opus est adjumento

quàm inferioribus: vel tam dignioribus quàm indignioribus: Vir autem potentior & dignior est cæteris animantibus, & natura, & vocatione, & rebus omnibus. Tam igitur viro opus est adjumento, quàm cæteris animantibus subjectis imperio ejus. Cæteris autem animantibus inde à creatione provisum est de adjumento ad propagationem generis, providentia Dei, & hominis ac viri ipsius testimonio. Quum itaque Deus omnes animantes coram Adamo stitit, & exemplo animantium docuit ipsum, & ipse naturæ suæ conscientia didicit sibi defuisse adjumentum. Hæc igitur sententia duorum versuum.

Digniorem verò & potentiorem esse hominem cæteris animantibus, non solùm ex eo discimus, quòd naturâ conditus est secundùm imaginem & ad similitudinem Dei: & quòd jus dominij à Deo accepit in animantes reliquas, suprà cap. 1. versu 26. verùm etiam ex duabus prædicationibus quæ ponuntur hoc loco à Mose. vna, Quòd Deus ex facto animantes omnes exhibuit homini, vt eas de nomine singulas appellaret, versu 19. Altera, quòd indita ab homine appellatio fuit, à Deo comprobata, & rata habita, versu 20.

His verò duabus prædicationibus premittit Moses per quamdam *ἀνακεφαλαίωσιν* creationem animantium, quæ coram homine jussæ sunt à Deo comparere, vt ea repetitione summa evidentiorem faceret narrationem institutam, quum ait: *Formaverat autem Iehova Deus è terra omnem animantem, & omnem volucrem cæli*. Cujus rei historiam minutatim exposuimus in capite primo. Nam tum quæstio vna incidit, quomodo dicatur Deus æquè volucres cœli ac bestias agri è terra condidisse, cùm videatur Moses procreationem volucrium aquis tribuisse, suprà cap. 1. versu 20. & sequente. Quamobrem plerique interpretes hoc prius membrum versus 19. *διὰ συνεκδοχῆς* interpretandum putaverunt, & latere Ellipsin quamdam in posteriore membro: tanquam si dixisset

Moses

Mofes, Deum è terra quidem animantes terreftres, ex aqua verò volucres condidiffe. Sed neque hanc interpretationem fert conftructio, & confequutio accentuum Hebraicorum hoc verfu pofita; Neque illud poftulat antecedens Mofis narratio cap. I. vt in eum locum explicavimus. Altera quæftio in hunc locū incidit, cur non fiat æquè mentio pifciū: cùm tamen pifces (vt ex alijs Scripturæ facræ locis conftat, & nominatim ex ipfius Mofis verbis fuprà cap. I. verfu 26.) fubfint hominis imperio. Refponfio eft, non eò minus pifcium dominatum ex facto homini fuiffe traditum, quòd non comparuerunt illi coràm homine, vt animantes cæteræ: fed contrà, illud ipfum, quòd non comparuerunt pifces cum animantibus reliquis, oftendere quomodo illos quoque Deus humanis commodis fervire voluerit. Nam cæteræ quidem animantes à natura commune domicilium habēt, nimirum terram; & aërem communem immediatè ducunt: pifcium verò natura diverfa eft, qui fi ad profeffionem fui erga hominem obfequij in ficcum repere debuiffent, contrà naturam fuiffet factum: fi homo ad illos tranfire, non folùm contrà naturam, verùm etiam contra dignitatem ipfius. Oportuit igitur dominatum homini in res omnes creatas fic tradi, vt quæ animantes per naturam fe coram homine fiftere potuerunt, eæ comparerent: Quæ autem non potuerunt citra naturæ damnum, eæ quamvis abfentes fubirent hominis imperium ἀναλόγως. Quapropter etiam in decreto Dei, fuprà capite primo, verfu vigefimo fexto, pifces primo in loco numerantur, quum inquit; *Et dominentur in pifces maris, & in volucres cœli*, &c. Qua etiam ratione ampliùs demonftratur hominis authoritas, tantum abeft vt quicquam de ea derogetur: cùm homo non folùm in res præfentes, fed etiam in abfentes imperium dictus eft obtinere. Nec obftat quòd in libro Iobi ea vis Balenæ prædicatur, in quam nulla vi aut arte homo *Iob. 41.*

dominium exercere possit. Nam alia est naturæ integræ ratio, alia corruptæ. Integræ decretum illud est, *Dominentur in pisces maris*, &c. Corruptæ verò, Maledicta est terra propter te, & dolore comedes fructum ejus omnibus diebus vitæ tuæ, infrà cap.3. versu 16. Nam ex eo loco sequitur *ἀναλόγως* per comparationem: Si terra maledicta est ex hominis lapsu, & fructum suum non edit homini, nisi doloribus & molestiis confecto, cùm tamen proprium sit hominis domicilium: multo minùs aquam imperio hominis ex sententia ipsius obsequi, & aquæ incolas non magis eò adduci posse.

Sequũtur prædicationes duæ ad institutam argumentationem conficiendam pertinentes: quarum prima est juris à Deo homini in cæteras res attributi, versu 19. Secunda est facti, vel possessionis ex facto per hominem aditæ, pro eo jure quod à Domino acceperat, versu 20. Iuris ad hominem pertinentis narratio continetur his verbis, *Adduxit Iehova Deus ad hominem eas, vt videret quo nomine vocaret ipsas*, &c. Nam illa loquendi forma, *vt videret quî vocaret ipsas*, apud Hebræos nihil aliud sonat quàm si dixeris, vt pedem poneret in possessionem earum rerum quas ipsi donaverat Deus. Atque hæc loquutio est synecdochica. Nam nominum impositio ad parentes dominosque pertinet, quorum hi mancipijs & possessionibus, illi natis indere solent nomina arbitratu suo: vt exemplis Scripturæ sacræ passim confirmatur. Qua ex re factum est, vt per synecdochen (quod modò diximus) vniversum jus atque authoritas dominiumque in res inferiores notetur hac loquendi forma. Quamobrem etiam de Deo in Scriptura sacra pronunciatur Psal.147. versu 4. cum bestias omnes nominibus appellare, & Esaiæ 40.26. illum res omnes totumque exercitum in cœlo & terra vocare nomine, sive nominatim, id est, imperium in res omnes cunctas & singulas ita exercere, vt solo mandato ipsius confestim ad obsequium adducantur. In hoc autem jure homini

homini attributo tria capita diligenter observanda sunt. Primum, Hoc jus hominis in creaturas cæteras donativum esse: Nam Deum creatorem esse proprietarium dominum; hominem verò esse colonum perpetuarium, sive dominum vtilis dominij, & quasi vasallum (vt vulgò loquuntur) Dei. Quam distinctionem ostendit Moses, quum ait; Deus adduxit eas ad hominem; Adduxit, inquam, tanquam proprietarius res mãcipii, Ad hominem tanquam vsu fructuarium & colonum à Deo institutum, qui rebus inferioribus præesset secundùm Deum. Atque hæc de causa efficiente dominij ad hominem pertinẽtis.

Secundò observandum illud est quod de modo istius dominij in hominem collati dicitur, *vt videret qui vocaret eas*. Sic enim ostendit modum humanæ dominationis non esse inconsultum, non fortuitum, non temerarium, non tyrannicum; sed luce rationis, judicioque conjunctum & moderatum esse oportere. Hoc enim significatur videndi verbo. Nam (vt ita loquamur) in hoc facto duo habuit videnda Adam: hinc Deum adducentem, tanquam Dominum, in cujus conspectu vivimus, & administramus functionem nostram, vtimurque authoritate nostra: inde adductas animantes, quibus nomina imponeret, easque nominatim ad officia sua ministeria que erga humanum genus adhiberet: sed tantùm præsente Domino & secundùm Dominum.

Tertiò observandum illud est, finem hujus instituti, vel missionis in possessionem (vt ita loquamur) à principio fuisse hunc: vt quocunque nomine & quomodocunq; homo animantes cæteras vocavisset, id nomen ipsis esse item agnoscerent, & denique vocatæ ab homine sisterent se ad imperium ejus & obsequerentur. Quam sententiam Moses innuit his verbis, *vt quocunque nomine homo vocaturus esset animantem, id nomen illius esset*. Non quòd hominem cum animantibus ita loquutum esse sentiamus, vt loquitur alter cum altero: sed tamen quum nomina sin-

gulis animantibus fuerint attributa, eaque vltrò ex Dei mandato fuerint comparata vt obſequerentur homini; non eſt dubium quin etiam vocanti homini fuerint paritura ſecundùm motum naturalem & voluntarium ipſorum, ad hominis vtilitatem & miniſterium: Quam rem etiam in jumentis plerisque videmus obtinere. Atque hinc facilè intelligimus veram eſſe illorum ſententiam, qui Hebrææ linguæ primas tribuunt, non ſolùm antiquitate, & dignitate, verùm etiam proprietate: cùm cæteræ omnes temerè vel fortuitò nomina plurimùm rebus indiderint; Hæc verò certo & ſingulari conſilio Dei diſpoſita, judicio hominis intelligentis conſtituta, & certa ſerie ab eo de manu in manum poſteris tradita ſit. Neque audiendi ſunt ij qui hanc linguam Hebræam non eſſe eamdem putant, quam à principio homo vſurpavit. Nam vt cætera teſtimonia & documenta certiſſima omittamus, vel ipſæ propriæ appellationes quæ ad tempus vſque inſtituti illius Babylonici perduraverunt, arguunt luculẽtiſſimè non aliam quàm Hebræam matrem linguarum omnium eſſe in humano genere, & ipſæ evincunt Etymologiæ quæ à Moſe plurimis in locis adducuntur. Cæterùm huc quoque poteſt illa quæſtio recurrere, quam antè perſtrinximus; cur ergo jam ea non ſint nomina ab hominibus? cur non ſit eadem ab animantibus cæteris attentio? Cur non imperium & obſequium mutuum ex hac inſtitutione Dei? ſed reſponſio facilis eſt, quam antè diximus: nempe hanc quidem primò fuiſſe inſtitutionem in natura integra: qua corrupta inſtitutionem quoque corruptam eſſe, & hominem miſerè de authoritate accepta decidiſſe. Ex antecedente jure quod Moſes 19. verſu explicavit, ſequitur vſus & occupatio illius, verſu 20. quem Moſes his verbis propoponit, *vocaveratq́ Adam nominibus*, &c. quaſi dicat, Quum itaque Deus, tamquam ſummus & proprietarius Dominus ex creatione, in hominem velut clientem & Vaſal-

ſallum (vt vocant) illud jus authoritatemque contuliſſet, homo jure illo accepto vſus eſt; Nam & nomina ſingulis indidit vt ijs diſtinguerentur, & prætereà jus obtinuit animantes ſingulas ad vſum miniſteriumque ſuum appellandi atque adhibendi beneficio Dei: quod poſterius ſynecdochicè priore continetur, vt in verſu præcedente diximus.

Atque hęc de antecedente illius argumentationis parte, nempe hominem ex inſtituto Dei, & naturæ lege, & vſu atque authoritate legitima, potiorem & præſtantiorem eſſe reliquis animantibus.

Sequitur alterum prædicationis membrum in ſecunda parte hujus verſus, quum Moſes inquit: *Adamo verò non adfuit auxilium ſimile ipſi.* verumtamen hic locus variè exponitur. Nam quia verbum Hebræum alijs tranſitivum eſt, alijs intranſitivum; ex eo tres natæ ſunt hujus loci interpretationes: duæ ex tranſitivo, & vna ex intranſitivo. Ex tranſitivo ſignificato interpretatio prior eſt, homo non invenit homini, id eſt, ſibi adjumentum conſimile. Solent enim Hebræi nonnunquam in relativi locum antecedens ipſius adhibere, vitandæ cauſa amphiboliæ, vt ſuprà capite 1. verſu vigeſimo ſeptimo, & infrà 9.6.

Altera interpretatio eſt, homini non invenit Deus auxilium, &c. ſed neutra hoc quidem in loco mihi tam arridet, quàm tertia ex intranſitiva ſignificatione. Nam Hebræis intranſitivè ſignificat adeſſe vel præſentem eſſe, quemadmodum tribus prætereà locis accipitur, Num. 11. 22. Judic. 21.14. Et Eccleſ. 9.14. vt vulgò diſtinguitur, ſed nobis eſt 17. verſus. Senſus igitur eſt, iſque ſententia mea ſimpliciſſimus, Adamo tum non adfuiſſe, id eſt, non exſtitiſſe aut comparuiſſe vſquam fœminam ὁμοειδῆ, quæ & naturæ & juris divini atque humani cõſors futura eſſet. Hoc autem abſurdum eſſe hominem cõſorte carere, cùm Deus anteà conſilio ſuo demonſtravit, tùm homo ex Dei

testimonio, & naturæ conscientia; & cæterarũ animantium, quamvis indigniorum, exemplo facilè animadvertit. Qua in re admirabilis est Dei providentia, quòd cæteræ animantes binæ à natura quasi profusæ sunt; homo verò non item; cùm vt homo suæ necessitatis antè conscius esset, quàm eam expleret Deus; tum vt singulare Dei beneficium esse ampliùs agnosceret, postquam divinitus naturæ, vitæ, & juris consors ei obtigisset: quemadmodum fuisse factum sequentibus ostenditur. Quare jam ad tertij loci explicationem veniamus, quem diximus esse divinum factum, quo Adamo conjux attributa est.

21 *Immisit itaque Iehova Deus Adamo soporem altum, adeò vt obdormierit: sumtaq; vna de costis illius occlusit carnem loco eius:*

22 *Exstruxit verò Iehova Deus ex costa quam sumserat de Adamo mulierem, eamq; adduxit ad Adamum.*

In hujus facti narratione duobus versibus comprehensa videndum est quid sit προηγούμενον, & quid substantiale (vt ita dicamus) & propriè ad factum pertinens.

Προηγούμενον sive antecedens in primo membro versus 21. reliqua in facto ponenda sunt. Antecessit enim illud quod narrat Moses ad cõmoditatem facti, nempe quòd demisit Iehova Deus soporem altum in Adamũ, & quòd indormiverit ille. Ac prius quidem antecedentis illius membrum quo Deus immisisse soporem dicitur, ostendit primò eam esse naturæ nostræ infirmitatem etiam citra contemplationẽ peccati, vt per vices, sive (vt loquuntur) successivè labor & quies inter se componantur: Secundò verò quia ex antecedente labore, quem homo recognoscendis animantibus occupaverat, ratio postulabat vt se quieti daret; illud singulariter à Deo effectum esse, vt quiescens à labore homo graviter soporaretur: cujus soporis hic fuit finis, vt homo nec ea videret cominus quæ Deus erat facturus, nec dolorẽ sentiret vllum; quemadmodum medicos videmus in gravibus curationibus

ἀναισθητικὰ & ναρκωτικὰ adhibere, vt sine incommodo curationis, & gravi ejus qui curandus est sensu, medicina fieri possit. Alterum antecedens, quòd Adam indormivit, eodem modo accipiendum est: sic enim naturalem quietem ex labore sumsit, vt quodammodo supra naturam ex sopore divinitus immisso fuerit ἀνάλγητος & doloris expers.

Ad factum, quod homine in modum illum præparato effecit Deus, pertinent duo: nempe creatio fœminæ, & quasi deductio in domum viri. Ad creationem fœminæ pertinent ista: Materia, posteriore membro versus 21. & forma, priore membro versus 22. Materiam Moses exponit his verbis: *Cepit Deus vnam de costis Adami*: Formam, illis, *Ædificavit vel exstruxit Iehova Deus.* De materia igitur dicit Moses Deum sumsisse vnam de costis viri: qua in narratione, quemadmodum etiam in sequente, commune illud est, quòd Deus opifex fuit æquè fœminæ, ac fuerat viri. sed materia diverso quodam modo adhibita fuisse dicitur, quàm in creatione viri fuerat. Nam virũ Deus creaverat ex pulvere terræ, suprà versu 7. & animam ei inspiraverat; fœminam verò non ex pulvere, sed ex viro, non ex carne, sed ex osse; non ex osse quolibet, sed ex costa formavit Deus. Quamobrem duplex quæstio est. 1. Cur ex viro materia fœminæ: 2. Cur ex costa potiùs, quàm ex alia parte aut materia quæ in viro fuerit, deprompta sit. Priorem quæstionem solvit Spiritus ipse sanctus Adami verbis, versu 23. & sequente: nempè fœminam ex viro desumtam esse, vt eam sibi vir & creationis, & naturæ, & instituti sanctissimi vi & authoritate Dei adjuncta esse cognosceret, seque vnum cum illa & illam secum vnum corpus esse animadverteret: Quam ad rem non parum præstitit, quòd in hoc generis humani primordio fœmina de viro desumta est; adeò vt ex vno simus omnes, Scriptura teste. Sed cur de osse, & costa? quæ altera est quæstio. Responsio, est ad 1. de osse eò fuisse factam (etsi non

est dubium, quin costæ etiam sua caro adhæserit, & contineatur synecdochicè) quia data est viro, tanquam statumen vel pedamentum ad sustentandum, juvandum, & confirmandum ipsum in singulis illis vocationis partibus quæ homini à Deo fuerant imperatæ. Non fiunt autem pedamenta ex rebus mollibus, victis & flexilibus. Quamobrem hac in re Deus specimen quoque edidit providentiæ suæ, quum ex osse potiùs duro quàm ex molli & lenta carne auxilium viro comparaverit. Neque hîc obstare illa duo possunt, quæ vulgò adferuntur. 1. detracta costa virum infirmiorem fuisse factum. 2. fœminam vas esse infirmius, ac proinde iniquè ex osse creatam dici. Nam viro, etsi aliquid de substantia corporis detractum est, nihil tamen de viribus & virtute naturæ propterea deminutum; quia quod substantiæ defuit supplevit Deus & facultatem integram conservavit. Quòd autem fœmina vas sit infirmius, non debet videri mirum; quia non tamquam princeps humani generis, sed adjunctum data est, & proinde ex particula corporis virilis facta. Sic viro nihil decessit in corpore, quin re amplius accesserit. Hîc verò de anima fœminæ quæritur, quam alij ex anima viri traductam putant, alij à Deo inspiratam. Qui traductam affirmant, eo vtuntur argumento, quòd Moses hoc loco non dicat, vt antè de viro prædicavit, nempe Deum inspiravisse in nares illius animam vitæ. Qui contrà, ij ex eo ipso quod Moses hoc loco de ortu animæ reticet, concludunt tantum abesse, vt illud consequatur quod volunt alij, puta animam ex viro traductam, vt contrà ἀναλόγως affirment de anima fœminæ idem accipiendum esse, quod Moses docuit de anima viri. Nam propterea Mosem hoc loco reticuisse, quia paulo antè in viro ὁμοειδῆ animæ inspirationem à Deo factam docuerat. Qua de re sententiam nostram in eum locum explicavimus.

Sed cur tandem ex costa potiùs, quàm alio vllo osse? duplex

duplex causa adferri potest: vna, quòd ortum rei respondere oportuerit naturæ illius rei quæ inde orta est. Costa stabilimentum est corporis: Ergò de costa stabilimentum viro adhibitum est. Altera ratio est, quòd reliqua ossa in suo genere non ita multa sunt; sed singula in corpore humano suas functiones habent proprias, ac non communes cum alijs consimilibus. Verbi gratia, Quæcunque ossa in capite sunt, suas functiones & singulares habēt. In brachijs & cruribus bina quidem sunt ὁμογενῆ, sed binis functionibus necessaria: costę verò sunt multijuges, ac proinde cōmodiùs ex earum numero materia depromta est sine corporis humani detrimento, aut facultatum ejus deminutione. Hîc addi potest communis illa, quæ à nostris hominibus affertur, ratio ex analogia proficiscens: humani corporis materiā in fœmina, non ex capite, non ex manibus, aut pedibus desumtam, sed ex medio corporis trūco; ne aut illa sibi princeps, tanquā ex capite proficiscens; aut simpliciter administra, tamquā ex manu, aut vilis & sordida, tamquam ex pede esse videretur: cùm viro neque princeps, neque famula, neq; vt sordidū mancipium adjecta sit; sed tamquam vnius cum illo corporis, consorsque divini & humani juris. Huic narrationi de materia ad formationem pertinente conjunctum illud est, quod adjunxit Moses, *Deum inclusisse carnem costæ illius loco*, id est, opplevisse locū illum vacuū inclusa carne atque obduxisse, dum adhuc vir in sopore esset, adeò vt nec ille dolorem senserit ex accepto vulnere & depromta costa, nec vestigium facti in suo corpore impressum animadverterit. Ita ostenditur providentissima Dei administratio, & via sternitur ad intelligendum versum 23. vbi Adam non ex sensu carnis, aut oculorum aspectu, sed sola spiritus Dei testificatione agnovit beneficium ejus, ac non de sui corporis deminutione conquestus est.

Expositis ijs quæ ad materiam visa sunt pertinere, vnde fœmina efficta est, sequitur ratio vel modus for-

mationis, priore membro versus 22. his verbis, *Exstruxit itaque Iehova Deus costam illam quam sumserat de Adamo in fœminam*, id est, ex costa illa exstruxit fœminam. Ac primò quidem illa tenenda sunt quæ antè diximus, opificem vel causam efficiẽtem esse Iehovam Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. Secundò materiam fuisse costam de viro sumtam. duo solùm restant excutienda, nimirum formatio, & res formata. Res autem formata est fœmina, de cujus appellatione, & natura, officioque, proximè sequente versu dicturi sumus. Restat igitur formatio vel actus formandi, quem designat Moses ædificandi vel exstruendi verbo. Hoc autem verbum ædificandi commune quidem est & communiter dici potest de rebus creatis omnibus, quarum corpora Deus tamquam ædificia construxit & coagmentavit ex Elementorum compage, vt in capite 1. diximus. Potest etiam speciali ratione æquè viro ac mulieri tribui, quia vtriusque corpus est tamquam erectum domiciliũ à Deo exstructum: sed singulari quadam ratione fœminæ tribuitur, quia Deus eã non solùm coagmentavit vt animantes cæteras, quamvis mediatè ex costa viri, aut quia stantem erectamque effecit vt virũ, verùm etiam quia corpus illi aptavit laxius capiendo & continendo fœtui, rebusque omnibus ad fœtum necessariis, vbi domicilium quoddam illi in vtero fœminæ est comparatum. Atque hæc quoque ratio est, cur fœminarum demersarum corpora prona in aquis fluitent, cùm virorum supina sint, quasi verecundiæ fœminarum consulente natura, vt Plinius loquitur.

Restat demum deductio in domum viri (vt ita loquamur) altero membro versus: quam Moses exprimit his verbis; *Adduxitq́ eam ad Adamum*, id est, Deus illam Adamo stitit & consociavit, tamquam author conjugij, & pronubus; vt Adam sequentibus versibus explicavit. Itaque his paucis verbis à Mose significantur ista: 1. Conjugium in genere humano divinum institutum & sanctam obser-

observationem esse, 2. Deum legitimi conjugij autorem & conciliatorem fœminam ad virum adduxisse, vt subjectam viro. Postremò, non tamen ita subjectam vt animantes cæteræ; sed consortem & sociam vitæ, quemadmodum de jure pronunciavit Deus suprà cap. 1. 28. Hîc verò quæstio vna incidit: nempe vbi hæc gesta sint, vtrum in horto an foris. Qui gesta in horto fuisse putant, nituntur narrationis ordine, quia antè versu 8. pronunciavit Moses, Deum in horto posuisse hominem quem finxerat: sed in hac interpretatione (vt ita dicamus) paralogismus est. Nam primò vocem Adam, id est, hominem, quæ communiter de viro fœminaque eo in loco dicitur, accipiunt æquivocè pro Adamo solùm. Secundò, error est in eo quòd statuunt temporis mométa hoc in capite à Mose observari: Quam rem falsam esse singulæ ejus partes evincunt manifestissimè. Nam totum hoc caput non est historicum secundùm tempus: sed est superioris capitis ex parte exegeticum, & ex parte ad sequens caput μεταβατικόν. Plurimū enim fit, vt non temporis, sed lucis in historia sacra ratio habeatur. Cùm autē sequente capite narretur hominis lapsus, qui à fœmina incepit; proptereà Spiritui sancto visum est commodè narrationem de conjugio viri & fœminæ narrationi lapsus per fœminam proximè attexere. 2. non fuisse hæc in horto facta, ostendit illa ipsa narratio quæ proximè antecessit de animantibus ad Adamum adductis. Nam animantes in hortum intromissas esse, cujus cultura & custodia homini mandata erat, non est credibile. Nec obstat, quòd serpens capite sequente hortum ingressa dicitur. Is enim fuit quidem serpens; sed non simpliciter: quia latuit in eo vetus serpens, qui serpentis illius terrestris corpore, tamquam instrumento & integumento, ad proritandam fœminam abusus est.

23. *Tunc dixit Adam, hac vice adest os ex ossibus meis & caro ex carne mea: hæc vocabitur vira, quia*

ex viro desumta est hæc.

24 *Idcirco derelinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, eruntque in carnem vnam.*

Eventorum, qui postremus est locus quem in hac narratione observari diximus oportere, duo sunt genera: Nam prior eventus est de conjugij inter virum & vxorem conscientia, versu 23. & sequente: Secundus est de vtriusque, id est, totius speciei humanæ in vtroque constitutione, versu vltimo.

Conscientiam autem conjugij inter virum & vxorem à Deo stabiliti eò ampliùs demonstrat Moses, quòd versu 23. & 24. ab Adamo pronunciatum fuisse testatur: etsi de vers 24. inter authores ambigitur, quorum alij versum 24. à Deo pronunciatum putant, alij à Mose adscriptum, alij denique ab Adamo. Qui à Deo pronunciatum putant, adducunt locum Matthæi 19. vbi ait Christus An non legistis Deum creasse, &c. propterea dixisse, derelinquet homo, &c. Qui à Mose, eò sibi sententiam suam videntur confirmare, quia versum 24. cum sequente conjungendum putant. Est autem sequens à Mose, διηγηματικὸς, id est, narrativus. Et primam quidem sententiam nihil necessariò concludere ex eo est evidentissimum, quòd Deus loqui dicitur, non solùm quum immediatè nobis, verum etiam quum mediatè per suas creaturas loquitur. Ac proinde quòd Christus Deum illa proloquutum esse ait, id commodissimè exponi potest, quòd per Adamum hæc enunciaverit. Quòd autem Mosis verba alij esse putant, id ex sequente versu non efficitur necessariò, cùm tam benè, atque haud scio an meliùs, præcedenti versui aptari possit. Quamobrem omnibus expensis ea verba quæ versu 24. comprehenduntur ego quidem magis existimaverim verba Dei esse, sed mediatè tamen per Adamum, cujus os statim à principio sanctificavit vt Propheta esset & prophetam

age-

ageret apud vxorem suam, tamquam in Ecclesiola recens nata per voluntatem Dei. Hoc igitur posito, tradit Moses Adamum conscientia facti & institutionis Dei verba sequentia pronunciavisse 1. quidem de singulari ipsius & vxoris causa, versu 23. 2. verò de communi in posteritatem vniversam, versu 24.

De singulari causa, quæ inter Adamum & vxorem ipsius intervenerat, duo ab Adamo prædicantur: Ius naturæ, & causa. Ius naturæ Adami verbis exponitur, quum inquit, *Esse os ex ossibus suis & carnem ex carne sua*. Nam hoc loquutionis genus de alijs quidem figuratè dicitur, & proverbij vicem obtinet: quemadmodum legimus Gen. 29.14. Iud. 9.2. & 2. Samuel 5.1. & 19.13.14. sed in Adamo hæc loquutio propriè simul & figuratè intelligenda est. etsi ex propria loquutione hac manavit vsus figuratæ istius, qua homo homini communionem naturæ & juris testatam facit. Ac primò quidem propriè ab Adamo hæc verba dicuntur, quia (vt antè narravit Moses) fœmina de costa viri exstructa est; quam costam antè docuimus non simpliciter nudatam omni carne, sed quodammodo circumvestitam intelligi oportere. Rectè igitur propriéque Adam vxorem suam dixit os esse de suis ossibus, & carnem de carne sua: sed ex propria illa interpretatione profluit figurata de identitate naturæ, vt ita loquamur, ac proinde communione juris inter eos qui natura communi sunt, prout hæc loquutio illis locis accipienda est quos antè adduximus: secundùm quam eamdem rationem Apostolus Ephes. 5. Ecclesiæ membra appellat Christi membra, ossa ex ossibus, & carnem ex carne ejus, quatenus per Spiritum sanctum in fide adnati Christo participant in vnitate naturæ commune jus cum Christo Iesu. Hîc verò non est prætereunda illa circumstantia, qua Adam repentè expergefactus & antecedentis facti non secundùm hominem conscius, sed secundùm spiritum illum Dei propheticum

132 quo erat instructus ad institutionem familiæ suæ, quasi ex abrupto exclamat, *hæc vice os ex ossibus*, &c. His enim verbis instituitur comparatio inter priorem illam vicem, qua Deus ad Adamum animantes reliquas adduxerat, & hanc vicem qua Deus vxorem exhibuit; quasi dicat, prius fuit defectus, nunc autem speciei perfectio. Ac proinde his verbis Dei beneficentiam erga se profitetur, qui dormiens, nihil faciens, dicens, aut cogitans quod ad hãc rem pertineret, cõsilio beneficioque Dei suscepit conjugem, consortem naturæ ejusdem & juris cum ipso, vt antè explicavimus. Itáque hác professione & Deo gratias agit de præsente bono & sibi gratu'atur. Hujus porrò professionis de jure communi inter virum & vxorem causæ exponuntur duæ, altero membro versus: nempe speciei, & ortus vnitas. Vnitatem speciei agnoscit Adam his verbis; *hæc vocabitur vira* : tamquam si diceret eam esse ὁμοειδῆ, quamvis numero & sexu differentem. Est autem illud naturale, vt omnis animans studeat conservationem suã, neque solùm suæ ipsius, sed etiam suæ speciei: quia in cõservatione speciei, tamquam communis civitatis, posita est singulorum sive (vt loquuntur) individuorum salus. viras autem quòd reddimus, eò facimus, vt convenientia nominis convenientiam quoque speciei secundùm Hebræum contextum, quàm evidentissimè fieri potest, exponamus. Sic enim veteres Latini viras, & querquetulanas viras appellabant, quæ sacellum habebant ad Querquetum quod Romæ erat secũdùm Querquetulanam vel Querquetulariam portam, vt loquitur Varro libro 4. de lingua Latina, & Festus in voce Querquetulanæ viræ.

Hujus communionis, quæ in specie posita est, causam Adam ex ortu fœminæ attigit, dicens, *Quia de viro desumta est hæc*: Qua in causa duo præcipuè membra opus est observare.

Prius, quòd communis ortus plurimum ad rei constitutionem à natura facit: Quamobrem in naturali rerum

pro-

propagatione inde à conditu mundi ita sancivit Deus, vt ex vna specie primigenia individua procederent ad speciem eandem pertinentia, sive (vt loquuntur vulgò) vt simile ex simili procrearetur, & eadem species per individua quodammodo conservaretur immortalis. Alterum observatione dignum est, quòd non æquè ac in cæteris animantibus fœmina cum mare fusa est ex eadem materia, eodem modo, & tempore; sed quod de viro, de ipsa inquam substantia viri desumta est materia vnde fœmina creata est, singulari quadã providentia; vt alter alterum, id est, vir vxorem & vxor virum ampliùs diligeret: vir tamquam fœtum suum, fœmina tamquam truncum suum, in cujus adhæsione, tamquam ramus ad truncum, salutem & vitam obtineret. Ex his conficitur documentum generale, & communis institutio in humanum genus de lege & jure conjugij, versu 24. Hujus autem juris conjugalis primò, Causa: secundò, Modus; Tertio, natura tenenda est. Causam explicat Moses hac vnica voce, *Idcircò*; qua vocula ea simul comprehendũtur omnia quæ in narratione hac antecesserunt: tamquam si dixisset Adam, cùm teste ipso consilio Dei non bonum sit hominem esse solum, & adjumento cõsimili opus sit viro; cùm hanc necessitatem exemplum reliquarum animantium ostendat plus satis: Cùm Deus facto suo huic necessitati viri consuluerit; cùm ad eam rem os de ossibus & carnem de carne viri sanctificaverit, cùm fœminam in eadem specie cum viro constituerit & in communione ejusdem naturæ & juris: cùm denique ortum illius de substantia viri esse voluerit; neque tantùm jus hoc in singulari illa Evæ propagatione teneri necesse sit, verùm etiam cùm ea quæ primis illis parentibus data sunt in speciem data sint quæ ad reliquam posteritatem pertineant: Idcircò, id est, his de causis deinceps posteri ex Adamo & Ghava nascituri, eadem lege, eodem modo, & conjugali jure tenebuntur. Secundum est (vt diximus) modus ad conjugium ineun-

dum pertinens, quem Moses indicat his verbis: *Derelinquet vir patrem suum & matrem suam*: quibus verbis id à Mose significatur hanc esse legem conjugij, vt vir conjugium non possit obire legitimè, quin familię patris & matris suę renunciet quodammodo, vt conjugem & consortem vitæ asciscat sibi. Itaque ex his verbis consequuntur ista. 1. virum tamquam humanæ suæ functionis caput, ex æquo bono conciliatorem esse conjugij, & sibi secundùm Deum de simili adjumento debere prospicere: 2. Vbi prospexit, ita debere suas res cōstituere, vt cæteras omnes curas humanas, officiaq; postponat huic officio. Nam si vir patrem & matrem eam ob causam derelicturus est; maximum autē jus est paternæ & maternæ necessitudinis; omnino ex eo conficitur summam esse vim summamq; religionem conjugalis juris, cùm illius causa vel patrem & matrem vir teneatur relinquere, de quibus tamē religiosè præcepit Deus, Honora patrem & matrē, &c. Tertiò istam desertionem patris & matris κατά τι vel comparatè dici. Non enim hoc loco excludi filiorum in parentes officia; sed per comparationem demonstrari, si fortè vsus & necessitas postulaverit, vt vir in vtramq; partem sua officia prętet, si ea simul non potest, officia in parētes officijs in conjugem postponenda esse. Quartò, ex horū officiorum cōparatione optimè demonstrari authoritatē legis illius conjugalis, quæ deinceps altero membro hujus versus proposita est. Ac hujus quidem legis ad conjugium pertinentis genus est cōsociatio vel cōmunio, & adunatio viri & vxoris; sed huic generi partes duæ insunt, quas Moses distinctè altero membro declaravit. 1. est virū adhærere vxori suæ. 2. Esse virum & vxorem in carnem vnam. Prior vnio animorum est, posterior corporum. Animorum vnio, quam his verbis significavit Moses; *Adhærebit vir vxori suæ*, non potest commodioribus verbis, quam Pauli exprimi Ephes. 5. vir tenetur amare vxorem suam, vt Christus amavit Ecclesiam; cujus illud alterum

rum est consectaneum, quod ait 1. Cor. 7. Vir benevolentiã debitã retribuat vxori suæ, & vxor vicissim viro. Ac proinde ex his conficiuntur hæc. 1. Quemadmodum vir consilij de conjugio princeps & ejus quasi conciliator est, sic etiam amoris & dilectionis conjugalis quasi fontem esse oportere: 2. Eadem quoque ratione effici, vt vxor amorem viri mutuo amore compenset. 3. Amorem fœminę in virum esse ex amore viri in ipsam consequentem: ac proinde sacro conjugio injuriam facere, qui amorem officiaque amoris ab vxoribus exigunt, abs quo amore & officijs ejus scelerate seipsos eximunt.

Primus locus cõsociationis de animorum quasi compage & conglutinatione inter virum & vxorem quid sibi velit, non est cur multis dicamus. Nam si conjunctio animorum inter omnes homines ratione speciei, si inter populares ratione civitatis, si inter propinquos ratione vicinitatis, si inter necessarios ratione sanguinis, si inter parentes & liberos ratione parentelæ charitas & conjunctio illa necessaria est; omnino eam necessariam esse animadvertent quicunque prius membrum versus cum hoc contulerint, nempe vel parentelæ ipsius postponendam esse rationem, si cum justo legitimoque conjugio cõparetur.

Secũdus cõjunctionis locus, quòd *sint in carnem vnam*, non est simpliciter referendus ad ea quæ justo conjugio juncta sunt, vt liberi procreentur: sed quatuor sunt capita (vt ita dicamus) ex quibus secundum leges justi conjugij marem & fœminam testatur Adam in vnam carnem coalescere.

Primùm enim ortu caro vna sunt secũdùm Adamum; sed ex eo magis, quòd communem ortum efficiunt liberorum, qui per benedictionem Dei ex vtriusque sanguinibus procreantur. 2. Est juris, quia (vt vulgo dicitur) conjugia in cœlis fiunt, in terris perficiuntur, & inde à creatione prima lege naturæ sancita sunt. 3. Caput est consensus partium convenientium: cui consensui

adjungi necesse est eorum consensum quorum secũdùm Deum, secundum justas naturæ aut honestas civitatis leges interest consensum adhiberi. Quartum est factum, sive coitio ipsa in vnam familiam & vnum corpus, quæ omnia his vocibus Moses voluit intelligi, quum virum & vxorem *futuros in carnem vnam* diceret. Hîc verò quæstiones oriuntur duæ.

Prima, Quomodo illegitimus concubitus huic loco aptari possit, vt fecisse videtur Apostolus, 1. Corinth. 5. Altera, quomodo hic locus adversus Polygamiam adduci possit. De priore ita respõdemus; Mosem quidem hoc loco de legitima viri & vxoris copula sermonem habuisse: sed quemadmodum ex causis legitimis antecedentibus factum ipsum est legitimum; sic contrà factum esse illegitimum non antecedentibus causis legitimis. Et tamen hujus facti sive legitimi, sive illegitimi omnino conjunctum esse, quòd mas & fœmina fiunt vna caro: Consequens verò, quòd partus procreantur: tantum id esse discrimen, quòd causis inter se differunt; quia hi legitimè agglutinantur, illi verò illegitimè: & proinde horum est constans obligatio ex jure, non autem ex facto: Illorum verò nulla est obligatio, quia ex facto suis corporibus contra jus abutuntur. Quatenus ergo ratio communis est facti inter marem & fœminam, optimè hæc verba adducit Paulus; nempe eum qui agglutinatur scorto, vnum corpus cum ea fieri, quia scriptum est, *Erunt in carnem vnam*: Non enim respicit Apostolus ad totam legem conjugij, sed ad naturam facti, in quo mas aut legitimè vtitur conjuge, aut aliena vel saltem non sua illegitimè abutitur.

Altera quæstio, quomodo hic locus adversus Polygamiam adducatur, ex quo factum est vt Christus & Paulus dixerint, hi duo erunt in carnem vnam; non solvitur ex his vocibus simpliciter, sed ex antecedentium adhæsione, nempe vir adhærebit vxori suæ, & ex Adami exemplo. Duo sunt igitur in hoc loco Polygamiam evertentia.

Vnum

137

Vnum est creationis factum, quòd vni Adamo vna Chava data est: alterum est institutum in posteritatem, quòd vni viro indicitur vt adhæreat vxori suæ, non autem alienæ, aut promiscuæ, aut multis vxoribus. Hinc enim omnino conficitur duos illos demum, marem & fœminam, justè in carnem vnam coalescere, quibus hoc mandatum à Deo verbis Adami datum est, Derelinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.

25 *Erantque illi ambo nudi, Adam & vxor illius: ac non erubescebant.*

Restat jam postremus locus de prima parentum nostrorum constitutione in horto, vbi eos collocavit Deus. Eam verò sic expressit Moses versu vltimo, vt synecdochicè tota illorum constitutio ex vna specie intelligenda sit. Nam corporalem solùm modū attingit Moses; & ex eo, quasi symbolo, spectandam præbet animorum constitutionem.

In narratione symbolica duæ sunt partes: 1. quòd vir & vxor fuerunt nudi: altera, quòd ipsos non puduit nuditatis suæ. Ex his autem quasi consequentibus symbolis ad causas spirituales ascendi opus est: 1. enim quòd nudi fuerunt secundùm corpus, id ex eo profectum est, quòd fuerunt tum perfectè creati secundùm imaginem Dei; cujus imaginis Dei splendor micabat in ipso corpore, ita vt ipsum hominis corpus esset honoratissimum, tamquam imaginis illius divinæ tabernaculum, ab incolente anima vna & simplice suprà reliquas res creatas honorem obtinens in seipso. Quòd autem non puduit ipsos, id ex eo factum est, quòd rerum bonarum honestarumque non debet pudere quemquam. Pudoris enim causa est res pudēda, id est, malum sive vitium, & labes mali. modus est affectio animi ex mali conscientia. Cùm autem in illis parentibus per tempus illud nec malum aut labes fuerit, nec mali conscientia, aut species vlla; non fuit cur puderet ipsos naturalis constitutionis suæ: vt contrà quum in ho-

mine inde à parentum nostrorum lapsu non possit non esse peccatum & conscientia illius; ea sunt impressam corpore documenta peccati nostri, vt neminem hominem non possit pudere sui, si vllus est: & propterea vestes à Deo homini post lapsum datæ sunt, capite sequente, quibus non eluitur peccatum, sed revincitur; non adimitur pudor, sed levatur & infirmitati hominis consulitur.

CAPVT III.

ANtequam de hujus capitis singulari enarratione dicimus, quæstio nobis vna ponenda est, quæ hoc tempore à multis non sine injuria in Deum afferri solet: nempe vtrùm narratio quæ in hoc capite continetur, propriè historica sit, an verò (vt nonnulli putant) allegorica. Allegoricam esse qui putant, certis argumentis nituntur; quorum alia ex naturæ & facti constitutione, alia verò ex juris regula petita sunt.

A natura afferunt ista: primum, quòd ineptum est credere serpentem loquutum esse: 2. quòd ineptius est credere attendisse fœminam ad serpentis vocem: 3. quòd omnium ineptissimum id esse putant, si credideris hominem ex prima creatione non vidisse, ex lapsu verò oculos ejus apertos fuisse: Postremò verò id planè à Deo alienum esse, quòd arborem in horto creatam posuisse dicitur, cujus cibo homini interdiceret: si enim creavit, vtendam creavisse; & si non vtendam, non fuisse creaturum. Atque hæc quidem omnia argumenta (vt dicamus paucis) totidem sunt Diaboli commenta, quæ etiam olim Porphyrius & Iulianus ille Apostata Iudæis & Christianis simul objecerunt, vt Cyrillus libro secundo contra Iulianum Apostatam docet luculentissimè. Vt autem ad

sin-

ſingula hæc argumenta veniamus. Primum illud quum ἀλληγορίζοντες iſti adferunt, duobus modis oppugnant hiſtoriam Moſis: Nam & ineptũ videtur illis, quòd anguis loquutus dicitur; & ſi reſpõdeatur Diabolũ loquutũ eſſe, id quoq; ineptum videtur illis atque ridiculum, Diabolum in angue loquutum eſſe. Ac prius quidem quod ineptum putant ſi anguis loquutus dicitur, inepta argumentatio eſt: quæ tum vera eſſet, ſi id daremus, nihil vnquam à re vlla niſi ſecundùm naturam rerum, id eſt, nihil præter naturam aut contrà naturam, ſive ex illuſione ſive ex veritate, nihil demum miraculosè fieri. Fiunt autem multa præter naturam: Non eſt igitur hæc hiſtoria ad naturæ leges revocanda. Ludentes quidem rogant, quomodo anguis loquutus ſit; ſed reſponſio facilis eſt, loquutum eſſe verberando aërem, ſive per ea inſtrumenta quæ à natura ſerpentes habent, non quidem ad ſermonem, ſed ad reliquas commoditates in percipiendo victu vſitatas; ſive Diabolus, qui in eo loquutus eſt, artem quoque ſuam adhibuerit plaudendo aëri: quam quidem etiam plerunque exercet apud eos homines, qui protervè hanc ipſam hiſtoriam & ſimiles ludificari ſolent, attribuentes Diabolo quod Deo malitiosè derogant, cùm in hac hiſtoria, quam Moſes hoc loco narrat, tum in altera illa de Aſina Bilhami, Num. 22.

Statuimus ergo cùm alia præter naturam, alia ſecundùm naturam fiant, alia contra naturam: quicquid autem diabolus in rebus creatis agit, quia illorum opera ſubſidioque abutitur, id fermè præter naturam faciat, Deus verò vtatur pro ſuo jure præter naturam & miraculosè, quum vult; hanc verè habendam hiſtoriam eſſe: quia à Moſe narratur tamquam hiſtoria, nõ tamquam allegoria ſive Apologia.

Sed regerunt illi, ineptum quoque videri illud, quòd Diabolus dicitur anguis opera abuſus eſſe.

140

Respondemus non tantùm ineptum esse, verùm etiam impium quod fecit: sed quòd fecisse dicitur, illud ita dici, vt & pietatem summam erga Deum habeat, & veritatem ad homines informandos de misero suo casu; vt ab eo qui mortis imperium habet, & homicida fuit inde à principio, ad Deum authorem vitæ & servatorem suum convertantur. Cur autem ineptum id esse putent, has maximè causas habent. 1. quòd Diabolus alia via fœminam aggredi potuerit. 2. quòd non sit credibile fœminam angui potiùs quàm alteri cuivis animanti aures suas accommodavisse. De priore dicimus paucis, Diabolum, quum hominem fuit aggressurus, aut intus aut foris fuisse aggressurum: intus non potuisse, quum integra esset in homine imago Dei: foris ergo vt aggrederetur oportuisse. Vt autem aggrederetur foris, fieri non potuisse, nisi instrumentaliter, aut instrumentorum specie per illusionem: hoc modo per illusionem agere non ita fuisse visum commodum; propterea adhibuisse instrumentum quo circumveniret hominem; Nam eo planè opus habuisse, vt specie animantis homini subjectæ falleret commodiùs eum ad institutum suum. Neque verò satis est, vt causas cognoscamus cur Diabolum instrumento externo vti oportuerit, vt suæ πανυργίας malitiam effectam redderet; sed etiam illud adjiciendum est, quòd Diabolus technarum artifex seipsum retegens, & sine instrumentis agens, fœminam potiùs deterruisset à se audiendo, quàm in scelus suum pellexisset. Verùm, vt rationes mittamus, quid illi tandem dicturi sunt de certissimis Novi Testamenti locis, in quibus & serpentis tanquam instrumenti, & diaboli tamquam authoris in peccatum homines conjicientis habetur mentio? Taceo enim, quòd & in vetere & in novo Testamento Satan, & Diabolus, itemque πειράζων, & imperium mortis habens appellatur: omnino tamen & domini Iesu Christi & Apostolorum testimonijs hæc à Diabolo dicuntur gesta. Nam quum Iohan. 8. dicitur à prin-

principio fuisse homicida & mendax; omnino sequitur ante hunc nec mendacem decipiendis, nec homicidam perdēdis hominibus exstitisse. Quòd si in ipso principium residet homicidij atque mendacij, hîc verò principium homicidij ejusdem atque mendacij serpenti tribuitur; omnino ex cōvincimus, eumdem esse qui hoc loco serpētis nomine designatur synecdochicῶs. Nam in eodem momento diabolus egit (vt ita loquamur) principaliter, & serpens instrumentaliter. Eodem pertinet alter ille locus 1. Iohan.3. vbi diabolo disertis verbis idem tribuitur quod alijs in locis serpēti: quia vterque, diabolus inquam & anguis, causa efficiens fuit, quamvis principalis vna & instrumentalis altera. Quamobrem idem quoque de serpente prædicari legimus 2.Cor.11.3. Itemque Apoc.12.9. & 20.2. Quæ omnia si allegoricè à Christo & Apostolis prædicata essent, ludicra magis quàm certa forent argumenta.

Sequitur jam alterū paradoxon. Allegoricam sibi videri hanc narrationem dicunt, quia videtur alienum, fœminam ita circumvētam esse. Atqui si illud videtur alienum hominibus istis, aut alienum videtur propter causam efficientem alteram, aut vtramque: aut propter objectum, aut propter actionis modum. Propter causam efficientem si alienum esse putaverint, illud tam ridiculum est quàm quod maximè. Nam potéstne videri alienum, vt qui homicida & mendax est à principio, adeoque principium ipsum mendacij & homicidij, mendacium dicat & homicidium perpetret? Contrà verò quid alienius à ratione & naturæ luce cogitari potest, quàm si à principe mendacij & mortis, quorum princeps est propriè (vt ita loquamur) quarto modo, mendacium & homicidium abjudicaveris? Vincimus ergo respectu diaboli, aut etiam bruti illius instrumenti quod aptavit sibi, non esse παράδοξον hanc narrationem Mosis. Quòd si respectu objecti id fœminæ, quam circumvenit Diabolus, παράδοξον esse

arbitrentur: iniquè faciunt qui imaginem Dei in fœmina positam sic putent fuisse ἄφθαρτον & à corruptione alienam, vt locum dare Diabolo non potuerit. Nam τὸ ἄφθαρτον propriũ & Essentiale Deitatis est: Quòd verò Angeli & homines sancti ἄφθαρτοι efficiuntur, imò quòd substãtia ipsa improborum spirituum hominumque in æternum duratura est; illud fieri non potest φυσιωδῶς per ipsas creaturas, sed κατὰ μετάδοσιν, id est, communicationem incorruptionis illius, quę ex naturę lege secundùm substantiam in puris spiritibus hominibusque à Deo indita est sustentatione illius; Electis verò spiritibus & hominibus secundùm substantiam & accidentia omnia ad vitam æternam pertinẽtia, per gratiam in Christo Iesu. Cùm itaque incorruptio Deitatis sit propria, corruptio verò κατὰ δύναμιν omnibus rebus creatis insit, nisi quatenus subsistunt in Deo incorrupto κατ᾽ ἀνοχὴν ἢ εὐδοκίαν ipsius, sequitur, vbi actio corrumpens Diaboli incidit in objectum corruptionis capax, non esse illud vlla ratione alienũ, si res creata corruptionis capax corrupta esse dicitur ab agẽte propriè & per se corrumpente. Deinde huc pertinent ijdem loci quos antè adduximus, quibus subruitur istorum hominum quamvis speciosa imaginatio. Quòd si actionis modum paradoxon esse ostenderint, vt dicant verisimile sibi non videri illud, quòd fœmina loquenti serpenti crediderit, quum sciret illa istis animantibus non esse commoditatem orationis datam; primùm omnium supponunt illi pro certo quod negari potest; nempe fœminam recens creatam hoc scivisse, quum in diversis animantium generibus, maximè autem volucriũ, vocales quasdam esse videamus; & præterea illud fœmina sine peccato ignorare potuerit, quòd serpenti nõ sit sermonis facultas data. Deinde verò etiamsi demus illam hoc scivisse; quis sanus mirabitur, si vas recens & quidem infirmum hac arte facilè labefactatum est, & inauditæ rei novitate

in admirationem traductum, quæ res facilitatem illius in credendo auxerit? Statuimus ergo neque agentis subjecti, neque patientis objecti, neque modi in agendo causa meritò hanc historiam paradoxam videri posse. Quòd si quid fœminam ab assensu tentationis istius potuit deterrere, certè fuit ille sermo Diaboli, non quatenus à serpente vel in serpente est pronunciatus à Diabolo; sed quâ fuit in Deum contumeliosissimus, vt in singulari hujus historiæ Enarratione ostendemus.

Sequitur tertium paradoxon, vt videtur illis, quòd homo in naturæ integritate nudus fuerit, nec tamen viderit; post corruptionem verò oculi aperti sint, & viderit nuditatem suam. Hoc verò paradoxon videri ijs hominibus, qui interni hominis vestitum prælucente Scriptura non didicerunt ab hominis externi vestitu distinguere, equidem non miror: Quia externum hominem colunt illi, & nihil nisi externum sentiunt & sapiunt.

Nam propriè quidem oculi nostri aperti aut clausi dicuntur esse duobus modis. 1. re, vel substantia ipsa. 2. facultate, vt accipienda est loquutio Genes.16. Luc.24. & similibus. Atque hîc quidem de facultate dici agnoscimus: sed tamen figuratè, non propriè. Est enim translatio sumta ab oculis corporis, & facta ad facultatem mentis. Quamobrem vt hoc benè intelligatur, servanda est analogia quædam videntis, visionis, & visi, inter facultatem corporis & mentis. Vt enim qui videt, lucem hanc visu oculorum videt, & lucem videt visibilem, vel potiùs ea quæ luce subjiciuntur visui: sic etiam in mente hominis quùm primùm à Deo creatus est, mens vidit luce visus vel facultatis (vt ita dicamus) mentalis suæ, lucem illam intellectualem, quæ posita est in imagine Dei, ad quam homo fuerat conditus. Corruptis autem rebus planè diversa est ratio. Nam quemadmodum ex vidente oculis corporeis

144
homo fit cæcus visione vel facultate illius ademta, ita vt visum nullum ipsi appareat; aut si quid facultatis superest, propter corruptionem facultatis illius non videat nisi corruptissimè quæ visui obversantur: sic visui mentis accidit. homo corruptissimus corrupta facultatę mentis lucem nullam planè fuisset visurus: sed Deus pro infinita sua misericordia scintillulam quamdam naturalem illius lucis reservavit, qua homo visum amissum singulis momentis desiderare posset, & suæ ipsius culpæ sic evinceretur vt esset per se inexcusabilis. Ideoque homo non planè quidem cæcus factus est, nisi ratione lucis illius ad vitam cælestem pertinentis: quia tantus est illius fulgor, vt ab hominis aspectų naturali ne minimum quidem ferri possit: sed in his rebus factus est tamquam lusciciosus, id est, ad lucem cæcus.

Altera fallacia qua in errorem isti Allegoristæ incidūt, est (vt loquuntur vulgò) à dicto secūdùm quid ad dictum simpliciter. Neque enim simpliciter narrat Moses oculos amborum apertos fuisse, tamquam si priùs fuissent clausi: sed proximè sequentibus verbis ostendit qua de apertura dixerit, facitque determinationem illius figurati dicti, quum ait: Aperuerunt se oculi ita vt agnoverint se nudos esse, id est, nuditatis suæ pudorem imbiberint; qui pudor non ex corpore, sed ex mentis vitiositate profectus est, quemadmodum in finem præcedentis capitis, & clariùs in versum 7. paulo pòst exponemus.

Sequitur vltimum paradoxon, ineptum esse, & alienum videri à iustitia Dei, quòd fructus vnius causa tantas pœnas Deus de homine sumsisse dicatur: neque solùm de individuo vtroque; sed de tota specie prædicetur. Respōsio est triplex: prima, Atqui longè indignius est hominem recens creatum fructus gustandi causa, & novæ scientiæ adipiscendæ, à creatoris obsequio discedere. Secunda, falsum est tantas pœnas à Deo sumtas de homine fuisse fructus illius causa: Non enim propter fructum illum, sed pro-

propter factum ἀπιϑείας humanæ pœna, quæ priùs fuerat denunciata, nunc demum pronunciata in hominem, & mandata exsequutioni est: Quam pœnam sic denunciaverat homini Deus, vt eam homo sibi denunciari æquo animo tulerit, conditionemque acceperit; neque solùm vir, verùm etiam fœmina de viro sumta, vt ipsius verba ostendunt in hoc capite. Tertia, Imo verò hominis ἀπιϑεία non solùm gravis est, eo quòd fructum interdictum percepit; sed quod sacramentum mortis quidem assumsit sibi: vitæ verò sacramentum omisit latissimâ culpâ: Quorum sacramẽtorum tamquam in medio positus homo fuerat, vt aut vitam sibi datam propositamque in sacramentali illius perceptione confirmaret, aut neglectâ vitâ, suâ ipsius electione eaque liberâ & volũtariâ, in mortem sese conjiceret; Idque malum non sibi soli conscisceret, sed etiam toti speciei ex ipso propagandæ: quæ species tota in his duobus individuis erat originaliter, ac proinde in eis omnes peccaverunt: Hi quidem facto, posteri verò consortio labis originariæ, ex justitia Dei & vnione sive identitate (vt vocant) naturæ ejusdem, quam parentes primi facto suo corruperunt. Ex his igitur omninò statuimus hanc historiam non allegoricam, sed simplicem narrationem esse earum rerum quæ gestæ sunt, prout gestæ sunt, injustitia hominis, & justitia Dei. Restat jam, vt totius capitis brevem œconomiam ponamus, ante quàm transeamus ad singularem ipsius explicationem. Partes igitur summæ capitis hujus sunt duæ: in quarum priore narratur hominis peccatum, versibus 8. Deinde verò judiciũ Dei, reliquo capite. In narratione peccati tria membra constitui necesse est. 1. Eorum quæ antecesserunt peccatum, versibus 5. 2. Facti, vel actionis ipsius peccantis, versu 6. 3. Rerum ex peccato consequentium versu 7. & 8.

1 *Serpens autem erat astutus, astutior quavis bestia agri quã fecerat Iehova Deus: is dixit mulieri, Etiámne*

dixisse Deum, ne comederetis de omni fructu arborum huius horti?

Antequàm Moses veniat ad antecedentium explicationem, primò ad commoditatem historiæ præmittit pauca de conditione illius instrumenti quod assumsit sibi Diabolus vt fœminam deciperet, quum ait; *serpens autem erat astutus, astutior omnibus animantibus agri quas fecerat Iehova Deus.* Primùm enim ex hoc loco intelligimus serpentem fuisse à Diabolo assumtum, vt eo instrumento ad institutum homicidium abuteretur: Assumsisse autem, non adunavisse, etsi propter conjunctionem agentis principalis & instrumenti commune nomen vtrique tribuitur, & reliqua actio de vtroque communiter prædicatur. 2. ostendit Moses Diabolum sibi assumpsisse illud instrumentum, quod instituto suo putavit fore accommodatissimum. Quomodo autem accommodatissimum fuerit, ostendit Moses, quum narrat serpentis constitutionem hanc fuisse: putà serpentem fuisse astutum: non quòd astutia serpentis per se communicaverit quodammodo cum Diaboli fraude & consilio; sed cum actione fraudulenta, quam ad rem serpens eò commodior fuit, quòd etiam in hortum irrepere, viro inscio cum fœmina agere, omnia denique præstare viro imprudente posset, quia reptile non ita facilè oculis ipsius poterat percipi.

Hoc autem ipsum amplificat Moses per comparationem, quum inquit: *Astutiorem esse omni bestia agri,* &c. Etsi in his verbis quum agri animantes nominat, indignitatem facti denotat Moses, quòd serpens videlicet, cui ager extra hortum cum cæteris animantibus vtendus fuerat datus, in hortum authore Satana irrepserit: Quem hortum culturus & servaturus Adam fuerat in eo collocatus. His positis, narrationis membra quę antè statuimus, Moses ingreditur. In antecedēte autem consilia & causæ humani lapsus narrātur à Mose διαλογιστικῶς. Nam primò diabo-

 147

diaboli propositio ad pelliciendam in scelus fœminam, posteriore membro versus primi: Secundò fœminæ responsio, versu 2. & 3. postremò autem diaboli exceptio versu 4. & 5. exponitur. Hîc verò quæruntur duo: 1. Quomodo serpens ea fecisse dicatur, quæ nos à Diabolo fuisse facta affirmamus: 2. An ergo tum fuerit diabolus, à quo, & quando missus. De priore respondemus paucis: scripturam Sacram nomine serpentis vtramque causam comprehendere, agentem principalem, & instrumentalem alteram: quod genus synecdoches est frequentissimum: ac proinde quæ actiones de serpente deinceps prædicantur, eas de vtroque conjunctim esse intelligendas: puta de Diabolo principaliter, de serpente verò instrumentaliter. De posteriore gravior est quæstio, quam nos paucis explicabimus. 1. enim jam tum Diabolũ fuisse demonstramus & scripturæ Sacræ testimonijs, & effectis. Scripturæ sacræ testimonia jam antè adduximus Iohan. 8. Eph. 6. 2. Cor. 11. Heb. 2. Apoc. 12. & 20. & 1. Ioh. 3. Ab effectis verò demõstramus jam tũ fuisse diabolũ, quia neq; hæc omnia quæ à serpẽte fuisse dicta narrãtur, neq; ea quæ à Deo serpenti indicta in latione sententiæ, propriè & per se ex natura possunt ei cõpetere. Nam neque serpenti oratio à natura fuit, neque ratio, aut rationis aversatio: ac proinde non infuit consilium sive προαίρεσις adversandi Deo & rationi, cùm sit rationis expers. Deinde verò quæ de inimicitia illa perpetua & promissione gratiæ in semine mulieris à Deo prædicantur, ea certè non possunt commodè serpenti huic terrestri tribui, cùm nihil fuerit opus semen illud mulieris promissum dari, vt serpenti huic terrestri conteratur caput. A quo autem, & quando conditus fuerit Diabolus, paucis, eadem scriprura teste, ita exponimus: 1. quum Iohan. 1. dicantur omnia per sermonem Dei fuisse facta, & nihil sine ipso fuisse factum eorum quæ facta sunt: similiterque Colos. 1. in ipso & per ipsum fuisse facta omnia quæ sunt in cælis,

& quæ in terra, visibilia & invisibilia: omnino statuimus Diabolorum nationem, si substantiam ipsorum respexeris, à Deo creatam esse, & communi substantia cum Angelis electis esse: eo autem discrimen intervenisse, quòd Angeli electi, in Christo consistentes, in veritate perseverarunt, in qua creati fuerant. Diabolos autem, cùm creati boni essent (nam respexit Deus omne quod fecerat, & ecce bonum erat valdè) non perstitisse in veritate, sed à Deo creatore & à Christo (qui est imago Dei invisibilis) defecisse. Quam rem apertis verbis Christus Iohan. 8. & 1. Iohan. 3. & 2. Petri 2. & Iudas in Epistola sua exposuerũt.

Genes. 1.32.

Quando creati sint Angelorum ordines, quorum alij in veritate perstiterunt, alij defecerunt, variæ sunt sententiæ. Ac primùm quidem creatos esse antè ostendimus. Tempus verò creationis partim ex Mose, partimque ex Iobo 38. petendum est. Ex Mose quidem versu 1. cap. 1. & 1. 2. Nam quum Deus cap. primo, cœlum creavisse dicitur, id est, vniversitatis hujus physicæ περιφέρειαν: Versu autem primo capitis secundi, inquit, absolutos esse coelos & terram, omnemque exercitum eorum: cœlestes illas & spirituales intelligentias synecdochicè cum cœlo, id est, sede ipsarum creatas esse intelligimus. Hoc verò ita accipi oportere demonstrat locus Iobi cap. 38. versu 7. vbi dicũtur eo tempore clamasse filios Dei, quo tẽpore Deus fundavit terram, columnas ejus statuit, & lapidem angularem ejus. Hoc autem jam à Deo ipso primo die factum est, quum Deus elementa superiora & leviora ab inferioribus & gravioribus dispescuit, vt in eum locum ostendimus. Concludimus itaque Angelos primo illo tempore creatos esse, qui gloriam Dei contemplarẽtur & in ea cœlesti gloria eam inter se prædicarent. Quando autem defecerint à veritate ij qui defecerunt, id nobis ex Sacra scriptura constare non potest; nisi quod pro certo illud habendum est, antè defecisse quàm hominem ad defectionem adducerent. Quando autem hominem ad defectionem

nem

nem adduxerint, id quidem non planè exprimitur: sed tamen tum à malitia naturali Diaboli ipsius, tum à circumstantijs hujus historiæ, tum denique à verbis Christi colligi id facilè potest, per breve fuisse illud temporis spatium quo homo in sua integritate vixerit: A natura, quia maleficus ille non potest feriari, ex quo maleficus est; ac proinde non est dubium quin primam occasionem arripuerit sitientissimè, vt hominem secum labefactaret. A circumstantijs, quia facilius fuit recentem hospitem decipere, quàm si fœmina diutiùs rerū naturam explorasset. Nam si diu in horto vixisset, & mandatum Dei ampliùs intellexisset, & vsum earum rerum quas Deus in horto posuerat, & officium obsequendi domino, & naturam quoque animantium meliùs tenuisset, fraudemq; visura fuisset Diaboli serpente abutentis. Quibus ex rebus omnino videtur nobis probabile, quàm primum potuit fœminam suis artibus invasisse. Id autem verba Christi demonstrant evidentissimè Ioan. 8. quum inquit, Diabolum homicidam & mendacem a principio fuisse. respiciens procul dubio ad hanc historiam, quam propterea necesse est principio fuisse gestam; principio, inquā, hominis, id est, quum primùm homo, puta mas & fœmina, in horto collocatus est. Non enim potuit homicida esse, nisi quum homo fuit.

Fuit igitur homicida quum primùm homo fuit; & eo deniq; fermè principio quo homo creatus est à Deo, Diabolus in hominem irruisse jam tum dicendus est. Nunc videamus, qua arte Diabolus fœminam sollicitaverit. Primus fœminæ sollicitandæ locus versu 1. exponitur à Mose his verbis, *Etiámne dixisse Deum, ne comederetis de omni fructu arborum huius horti?* Sensus est, mihi non videtur credibile, eum qui bonus est rei bonæ vllius vsu interdicere: Omnium arborum quæ in hoc horto sunt fructus est bonus: An ergo credibile sit Deum interdixisse fructu illius arbori, quæ in hoc horto sit? Hæc autem Satanæ argumētatio quasi per speciem dubitationis probabilis ad-

ducta præmissa fuit arte Satanæ, tanquam fundamentum blasphemiæ illius propositionis quæ posteà versu 4. & 5. proponitur. Itaque in hac argumentatione tria maximè opus est observari, summam, finem, & modum illius. Summa enim est speciosissima, cùm Deus omnia bona fecerit, & ad vsum fecerit, imprimis in horto illo amœnissimo fecerit ad vsum hominis quem ibi collocaverat; Contumeliosum magis in Deum esse id, si quis dixerit rei bonæ, & quidem in horto ad vsum hominis constitutæ, participationem prohibitam esse, quàm si affirmaverit, vsum omniũ promiscuè homini esse attributum. Sed hęc summè blasphema fuit fallacia, quũ vsum rerũ bonarum tantùm ad participationem istam corporalem restringeret. Nam bona quidẽ fuit arbor illa in se, quatenus à Deo creata est, & bona vsu legitimo, quatenus à Deo erat instituta vt hominem doceret malum, mortemq́; ipsi obventuram, si ab obsequio Dei creatoris deficeret: Sed vsus ille quem diabolus obtendebat vt cibo esset homini, ille vsus, inquam, nefarius erat propter institutionem Dei. Finis autem hujus argumẽtationis blasphemus fuit in Deũ, & in hominem cõtumeliosissimus; nempe vt labefactaretur Dei veritas, homo ab obsequio interdicti quod acceperat abduceretur: Deniq; pessundaretur in malũ & mortem dubia illa propositione quæ versu 4 & 5. enarratur. Modus autem argumentationis est valdè lubricus. Nam quemadmodum in argumentatione affirmanda aut neganda, vehemẽtiùs affirmatur aut negatur interrogatione: sic etiã in dubitationibus & quasi cõmunicationibus maximas vires habet interrogatio ad afficiendas mentes dubitatione: quam artem propterea Satanas adhibuit; quia teneram, recentem, & infirmiorem fœminæ mentem cõmodissimè ad institutũ suũ potuit hoc pacto percellere. Neque verò modus, quo Satanas vsus est, solùm vehemẽtiam habuit ad fidem fœminæ percellendam interrogatione, verùm etiam alterum genus adhibuit fal-

laciæ, vt vtrovis modo fœmina acciperet, haberet semper iste fallaciarum artifex quod fœminæ regereret. Nam in hoc sermone fallacia est (vt vocant) figuræ dictionis, quum his verbis apud fœminam vtitur, *dixisse Deum, non comedetis de omni fructu istius horti.* Etenim signi vniversalis apud Hebræos, id est, nominis istius *omnis*, vsus est hujusmodi: quòd vt in affirmativis propositionibus affirmat vniversè, ita etiam in negativis vniversè negat, & de singulis etiam individuis negat; quemadmodum accipiendum est vulgatissimus Prophetæ locus: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, id est, nullus. Hac igitur fallacia Diabolus vtitur, vt non tãtùm vniversè interdictum neget, sed quodammodo etiam sigillatim: & ostendat tacitè non esse credibile Deum vsu arboris illius quam creaverat, & ad vsum hominis, idque in horto creaverat, homini interdixisse: Imò verò si arboris illius conditio spectetur, tanti esse arborem, vt si Deus vsu fructus illius interdixisset, omnino vsu omnium interdixisse videatur: adeò grata & jucũda illa arbor erat, cujus species in oculis fœminæ obversabatur, vt posteà versu 6. exponit Moses. Nunc ad fœminæ responsum veniamus.

2 *Dixit verò fœmina serpẽti, De fructu quidem arborum huius horti comedimus:*

3 *De fructu verò arboris istius quæ est in medio huius horti, dixit Deus, ne comedatis ex eo, neque attingatis eum, ne fortè moriamini.*

Narrat Moses fœminam serpenti illi respondisse, id est sermonem habuisse cum eo qui instrumento serpentis ipsam compellaverat: qua in re fuit imprudens factum, quòd ipsa sese in sermonẽ dederit de re grauissima, id est, de veritate gloriaque Dei, & de salute sua; atque in causa tàm viri quàm ipsius cõmuni cũ eo instituit colloqui, qui jam ex facto negabat specie interrogationis veritatẽ interdicti Dei. Nam primũ & potẽtissimũ telũ adversus diabolũ est, vt resistamus ei, nõ autẽ vt audiamus, & cõfidamus

nos cum illo argumentari posse. Quòd si Dei vocatio, id est, pietatis in Deum vel salutis causa postulaverit: tùm id non pro imprudente facto, sed pro religioso officio habendum est. Quid autem necessitatis fuit, cur fœmina cum serpente, id est, animali bruto de ratione, aut cum diabolo, id est, pietatis & salutis hoste, de pietate & salute sermones commutaret? verumtamen vt hæc missa faciamus, in quæ tamen impingūt quàm plurimi hoc tempore, qui rebus curiosis facilè abducuntur: Ad responsionis argumentum veniamus. Antecedenti igitur negationi respondet fœmina per contrariam affirmationem: sed ita vt diabolo ansam quodammodo præbeat cavillis ludificandi interdictum Dei, eamque ab obsequio illius abducendi. Nam in responsione duo membra statuit, cùm vnum tantùm fuisset futurum satis: 1. membrum est interdicti, quod illa verè atque graviter pronunciat: 2. verò interminationis, si ab eo quod mādavit Deus discesserint. Fuerat autem satis, si interdictum simpliciter enunciavisset, & præcisè ostendisset se vel sola religione mandati divini constringi, ne quid contrà veniat, aut dicat, statuat, aut cogitet. Prius autem responsionis membrum constat ex contra dicēte affirmativa per distinctionem. Cùm enim Satanas præter verbum Dei particulam vniversalem apposuisset, revocat mulier enunciationem illam ad indefinitum prædicationis genus, sublato signo vniversali quod Diabolus adjecerat. Ac proinde in propositione indefinita distingui docet oportere: Nam partem in ea enunciatione partim veram esse, partimque falsam. Veram proponit versu 2. falsam verò partem tollit negativa contradicente, in vers. 3. veram partem, quam Diabolo concedit, his verbis enunciat: *De fructu arborum huius horti comesturi sumus*. Est autem futurum hoc significatione potentiali accipiendum, quasi diceret: possumus comedere, libera nobis facultas à Deo data est comedendi; Quam partem sic fœmina enunciat, vt sibi caveat à

par-

particula vniversali quæ in sermone Diaboli fuerat posita. Ac proinde in hac propositione veritatem beneficiorum Dei enunciat, & mendacium Satanæ refellit, vtrovis modo acceperis mẽdacium illud; quia sophisticam suam fallaciam Diabolus in eo struxerat. In negativa verò religiosissimè fœmina pronunciat sibi interdictum esse vsu illius arboris, quam ἐπιδεικτικῶς his verbis designavit; *de fructu illius arboris* (putà vnius illius individui quod fortè digito indicaverat) *dixit Deus, ne comedatis*. Quin-etiam interdictum illud non enũciat simpliciter, sed amplificat interdictione quadam, quum adjicit, *Ne attingatis eum*: quod loquendi genus ego quidem accipio κατά τι: non quòd simpliciter Deus interdixerit ne arbor illa attingatur, sed quòd vel semel ac tãtillum gustari de fructu illius, & cibo esse vetuerit: Tamquam si dixisset fœmina, Cavit Deus severissimè, ne fructum istius arboris ad cibum nostrum adhibeamus, aut ordinariè, aut etiam vel ad momentum extraordinariè; denique ne minimum illius fructum in vsum & alimentum nostrum convertamus. Refertur enim hoc attingendi verbum non ad manus quibus contrectamus, aut ad corpus quo solemus rem aliquam contingere, sed ad ipsum os & cætera mandendi instrumenta. Itaque ex his fœminæ verbis id primùm intelligimus: etsi narratio interdicti illius ante narrationem de condita fœmina posita est suprà 2. cap. versu 15. tamen illud interdictum posterius fuisse tempore, & tùm demum à Deo denunciatum quum mulierem viro conjunxisset, & vtrumque in hortum introduxisset. Deinde verò & illud ex his verbis discimus, fœminã optimè interdictum Dei intellexisse; vt quæ religiosissimè ipsum interpretetur, & à fallacia mendacijsque diaboli vindicet, prout ipsam decuit; sed in interminatione, quam eadem quoque gravitate oportuerat enunciari & religiosa mente retineri, in eo igitur secundo loco aut nutavit fides, aut verba defecerunt & seria minarum Dei comprehensio.

Altera pars responsionis ad gravissimam illam Dei cõminationem respicit, quam proximè præcedente capite audivimus: quũ Deus dixisse legitur, Nam quo die comederis de fructu arboris istius, omnino moriturus es. Cùm autem cõminationem illam Deus simpliciter homini nunciavisset, & quidem ita pronunciavisset vt in totam speciem culpa hominis derivatũ iri ostenderet: hanc ipsam denunciationẽ hoc loco fœmina molliùs enũciat; sive quòd cõcupiscentia carnis oculorumque tum demũ prurire inciperet, ac proinde metũ divinæ illius cõminationis minuere labante ipsius fide & religione obsequij; sive quòd tum adhuc integra quidem mẽte esset; sed comminationem hanc Dei perstringere satis habuerit, vt quæ ad propositũ sermonem nõ ita pertineret. Mihi prior magis placet interpretatio: ac proinde labente cogitatione & imprudente sermone suo, quũ diceret, *ne fortè moriamini*, videtur Diabolo materiã sequentis ludificationis præbuisse. Nam vt nihil tam certum est, quàm quod pronunciavit Deus; ita nihil tam sanctum inter homines esse potest, quàm Dei pronunciata fide prehendi & reverentia, vt promissiones illius prosint deducantque in omne officium, & minæ constanter ἀπὸ τῆς ἀπειθείας deterreãt. Qua in re titubantem fœminam subdolè diabolus impulit sequente argumentatione.

4 *Et dixit serpens fœminæ, non vtiq; moriemini:*

5 *Novit enim Deus quo die comederitis ex eo, aperturos se oculos vestros: & vos fore sicut Deos, scientes boni & mali.*

Est autem hæc Diaboli argumentatio versu 4. & 5. duobus in membris posita. Nam primùm rem præcisè à Deo dictam atque definitam negat quodammodo, fidemque illius elevat mitiore quodam negationis modo, versu 4. Deinde verò propositionem suam confirmat 5.

Propositionis autem, quæ his paucis verbis cõtinetur,

Non

Non moriendo moriemini, duplex afferri potest interpretatio. vna, tamquam si per ludibrium quoddā dixisset Diabolus, vos propter esum fructus istius morituros? esto sanè, vt dem vos quodammodo morituros. At illa mors (vt ita dicam) non mors futura est: moriemini non moriendo, id est, reipsa mortem hac de causa non estis obituri; sed aliquid mutationis vel potiùs accessionis experiemini, quæ mutatio nihil est aliud, quàm rei vnius constitutio ex interitu alterius. Non ergo vos, id est, personæ vestræ morientur; sed certa qualitatum vestrarum cōmutatione amplius quid experiemini, quod sequente versu exponitur. Hanc interpretationē qui amplectuntur, se ratione accentuū juvari putant: quia particula negativa, *non* cum infinito sequente cohæret; ipsum vero infinitum a sequente finito verbo accentu distinguitur. Sed hæc ratio nihil efficit: quia in Prosodia spectatur partim sensus, partimque Euphonia. Accentum autem Makkaph non semper conjungere sensum earū vocum quæ per ipsum colligantur pronūciatione, in Grammatica exposuimus. Accentum verò Tiphcha, id est, distinguentem, infinito potiùs quàm particulæ negativæ oportuit adhiberi propter Euphoniā: quia durior asperiorq; fuisset futura harū syllabarū inter se occursatio, quæ in Hebræo cōtextu habentur, nisi distinguēs accētus morā quamdā interposuisset. Altera interpretatio est, nō moriendo moriemini, id est, rectè sanè dicis, ne fortè moriamini: nam etiā fortè nō est ea mors vobis obventura quæ modò à te dicta est. Quā phrasin propterea interpretamur, nō omnino vel non vtique moriemini. Nā dubitantē quodāmodo nutantemq; fœminam nō infirmat Satanas primo impetu, præcisa & definita quadā negatione; sed potiùs contingenti propositioni contingentem negationē obijcit. Deinde verò vbi quodāmodo fœminā impulit in dubitationis scopulū, repētè dat præcipitem, sequēte versu; Nā quod alijs placuit hæc verba sic interpretari, tamquam si Diabolus præcisè

negavisset dicens, Moriendo non moriemini, id contra Hebræorum vsum & leges Grammaticorum est. Quum enim Hebræi dicunt, Moriendo non moriemini, vniversè negant, & constantissimè: Quum verò, non moriendo moriemini, aut ex parte negāt, aut quodammodo atque contingēter. Id enim Diabolo primùm satis fuit, vt apud fœminam vinceret, eam propositionem Dei quæ omnino est necessaria, videri contingentem. Etenim vt nemo est repentè pessimus, quod vulgo dici solet; ita ne Diabolus quidem ipse demonstrat se esse repentè pessimum; sed gradatim provehit fraudes suas, malitiamque non depluit, sed instillat mentibus hominum obruendis. Atque hæc quidem prima est ars (vt ita dicamus) Diaboli, qua miseri homines à voluntate Dei, quæ summa est (inquit Tertullianus) necessitas, abducuntur ad opinionem contingentiæ. Sequitur alter locus versu 5. in quo Diabolus summatim affirmat non posse contingere vt ex illo cibo moriantur: sed contrà si Deus ipse verax est, hominem tū demum victurum esse quum de fructu arboris illius comederit. Est autem ejusmodi Diaboli argumētum. Prout Deus rem quamque nominat, ita est: Deus hanc arborem nominat arborem scientiæ boni & mali. Est igitur. Hinc nectitur argumentatio ejusmodi: Scientia boni & mali sive cognitio esca est & vita animæ, in qua vel Deus ipse conquiescit. Est autem hæc arbor scientiæ boni & mali. Ergo hæc esca vitaque animæ vestræ futura est; tantum abest vt mortem vobis sit allatura. Prioris argumentationis propositio major hoc veluti fundamento nititur, Quarum rerum vsus bonus est, earum vsu non videri probabile Dominum interdixisse: sententia hæc est. Rei bonæ vsu non est interdicendum: non ergo interdixit Deus. Hujus propositionis duplex fallacia est. Nam primò, res bona quum dicitur, variè dicitur: secundò, vsus rei bonæ quum dicitur, itidem variè accipiendus est. Itaque & ambiguitate fefellit Satan & argumentationis genere, vt

postea

posteà demonstrabimus; quia à genere ad speciem non valet affirmativa hujusmodi, nisi vniversale signum accesserit. Nam res bona non est ad quemvis vsum bona, & quivis vsus rei bonæ bonus dici non potest, nisi apponatur & detur vniversale signum. Ambiguitatem vt explicemus, de vtroque dicturi sumus; puta de re bona & vsu illius. Res bona quum dicitur, aut bona dicitur ratione sui, aut bona, ratione ad aliud. Res bona dicitur ratione sui, secundùm substantiam. Nam cùm Deus rerum omnium substantiam creaverit & in ipso subsistant (vt loquitur Apostolus) fieri non potest quin ratione substantiæ, id est, quâ res à Deo creatæ sunt & in Deo subsistunt, sint bonæ. Ratione verò ad aliud res bonæ dicuntur, aut secundùm naturam, aut secundùm singularem institutionem ejus cujus est instituere. Secundùm naturam res bonæ sunt in se & per se, quatenus à Deo creatæ sunt, δυνάμει, ἔργῳ, καὶ πάθει. potentia, quia nihil ex creationis lege potuerunt quod non fuerit bonum, vt creatæ sunt bonæ. Operatione, quia vt naturâ erant bonæ, ita secundùm naturam ad operationem bonam ferebantur, sive (vt Philosophorum more loquamur) ὤρεγον, appetebant. Passione similiter bonæ, quia vt naturâ appetebant quodammodo commune bonum, sic etiam suum. Nam ad bonum quasi conspirabant omnia, agentia simul & patientia, secundùm naturam; quæ nihil est aliud, quàm ordinatio boni à Deo facta in natura rerum ad bonum contēdentium, & commune omnium, & privatum suum. Institutione verò res bonæ dicuntur esse, quum ab eo cujus est instituendi authoritas, ad certum aliquem, proprium, destinatumque finem institutæ sunt præter commune illud naturæ jus: quemadmodum factum est, quum arbor vitæ à Deo posita est in horto; quæ per se non erat vita, sed vitæ symbolon vel symbolicum instrumentum ex institutione Dei creatoris; eodemque modo arbor scientiæ boni & mali fuit bona secundùm substantiam; sed propriè & destinatè

fuit bona secũdùm institutionem, nempe vt significationi esset, non autem communicationi & participationi. Altera ambiguitas de vsu rerum, brevior futura eit explicatione. Vsus rerum quum dicitur, homonymus dicitur: sed tota homonymia solvitur vnico verbo, si dixeris vsum rerum bonarum eum bonum esse, qui fit secundùm rationem, nempe aut naturam, aut ejus institutionē cujus est instituendi de ea authoritas. Secundùm naturam vsus rerum bonarum bonus est, pro ratione agentis & patientis subjecti accommodatus, sive applicatus secundùm naturam vtriusque. Tria igitur sunt necessaria in bono bonarum rerum vsu secundum naturam: 1. vt ratio rei sive subjecti agentis habeatur. 2. vt ratio rei sive subjecti patientis. 3. vt pro vtriusque natura & conditione contemperetur accommodatio sive applicatio ipsius. Alioqui nihil est tam bonum, quod non fiat pessimum, si à contemperatione illa discesseris quæ est inter agens & patiens subjectum. Secundùm institutionem verò vsus rerum bonarum bonus est, quum ad id demum adhibentur, ad quod singulariter ab eo qui Dominus ipsarum est institutæ sunt. Nam omnis vsus rei bonæ non promiscuè bonus est: neque enim ex generis propositione vniversalem affirmationem ad species singulas & individua fieri convenit: putà, vt si arbor ista bona fuit, etiam ad vsum aut quidvis aliud fuisse bonam oporteat. Sed res per se bona tum demum ad bonum vsum dicenda est adhiberi, quum aut secundùm naturam fit de qua diximus (atque hæc communis est) aut secundùm institutionem singularem. Hîc autem fuerat singularis institutio, & quidem ab eo facta ad quem omnino pertinuit constituendi authoritas, & justè facta homini communicatio, mandatum propositum, & interdictum pronunciatum, & significatio demonstrata, & comminatio supplicii sententiaque gravissima lata, & omnia ab homine probè percepta, & accepta sive suscepta conditio obedien-

dientiæ: Quas res omnes non obscurè fœmina indicavit in versu 3. quum diceret, *De omni quidem fructu arboris*, &c. *de fructu verò istius*, &c. Ex his igitur satis est evidens fallacia illa duplex, quæ in prosyllogismo illo Satanæ latuit, quum fœminam ad hoc malum detrusurus esset. Atque ex hac interpretatione diluitur etiam potissimùm bona pars principalis argumentationis, quæ in versu quinto evidenter ab ipso exponitur. Nam quum dicit vel ipso nomine indicari bonitatem arboris, non modò secundùm substantiam, verùm etiam secundùm δύναμιν καὶ ἔργον ipsius, eò quòd arbor scientiæ boni & mali à Deo appellata est, rursum in eosdem scopulos impingit, & facit vt fœmina cadat imprudentiâ: quandoquidem rei bonæ bonus est vsus secundùm naturam vel secundùm institutionem: naturam agentis & patientis, subjecti contemperata ratione, vt antè diximus: Institutionem verò secundùm id ad quod instituta est. Sed medium principalis syllogismi, nempe illud quod in minore propositione posuimus, Hæc arbor dicitur scientiæ boni & mali, illud quoque est vitiosum. Nam turpiter fallit Satanas scientiæ nomine, & vocem illam arripit à Deo pronunciatam, vt ex æquivocatione & ambiguitate simul fœminam deluderet. Æquivocatio est in nomine scientiæ; Ambiguitas est in illa loquutione, qua arbor scientiæ boni & mali dicitur. Scientiæ nomen æquivocum est. Nam scientia duobus modis consideratur: simpliciter quâ pura puta est rei cognitio, abstracta (vt ita dicamus) ab omni vsu, & in mente solùm simplicissimè residens. Deinde verò consideratur compositè quodãmodo, nempè quâ ad vsum adhibetur, & cum eo conjuncta est. Deus autem quũ arborem scientię boni & mali appellavit, de sciẽtia composita loquutus est: Satan verò de scientia simplicissima, vt demonstrat ipsius explicatio, quũ dicit, *Eritis sicut Dij*: Deus enim novit bonũ & malum; sed simplicissimè, ita vt simplicissimè

ſit & ſummè bonus, ſimpliciſſimeque noverit malum, & abſit ab omni malo: Quæ res in hominem non poteſt æquè cadere. Nam Deus ita ſimpliciſſimè abeſt à malo, vt etiam abſit ab omni potentia mali; id autem eſt impotentia: Homo verò, vt fuit conditus, abfuit quidem à malo; ſed non à potentia mali: quemadmodum eventus demonſtrat, quum potentia ſua in malum abuſus ſit. Deinde verò ſcientiæ altera diſtinctio tenẽda eſt: nempe ſcientiam alteram eſſe vtilem; alteram verò inutilem. Inutilem autem duobus modis: ſive quia vana eſt, ſive quia damnoſa: quam rem oportuerat à fœmina animadverti, prout eventus commonſtravit: Eſt autem ſcientia vtilis duobus modis; nempe quæ aut cõmunis eſt omnium ſecundùm naturam, aut ſingularis & propria ſecundùm Deum ex dono gratiæ, aut vocatione ſingulari ejus. Contrà verò, quæcunque ſcientia neque à natura eſt, neque à vocatione, neque à dono gratiæ, ea inutilis planè dicenda eſt, ſive ea ſit vana atque curioſa, ſive damnoſa vlli. Atque hæc de nominis, ſcientia, æquivocatione. Prætereà verò duplicem amphilogiam induxit diabolus pater mendacij, quum fœminam ad labem hanc ſollicitaret. 1. eſt quæ ex nominis *ſcientia*, æquivocatione naſcitur. Nam ſciẽtia boni & mali aut eſt ſcientia ſimplex in mente ſimplice poſita ſecundùm naturam, qua mẽs ſic novit bonum vt ipſa bona ſit, ſic novit malum vt abſit à malo: Altera ſcientia boni & mali eſt in participatione vtriuſque poſita, ſive (vt vocant) experientia; quæ ſcientia in nemine eſſe poteſt, quin bono abdicato ſe addicat malo; quia nulla eſt convenientia juſtitiæ cum injuſtitia, 2. Cor. 7. Secũdùm priorem interpretationem, Deus ſimpliciſſimus ſimpliciſſimè habet boni & mali ſcientiam: & Angeli quoque Electi, qui in veritate perſtiterunt, habent ſecundùm Deum. Nos verò ad eam ſcientiam illuſtratione Evangelij gloriæ Chriſti in dies revocamur per ſpiritum ipſius, & tandem reſtituemur ſecundo adventu ejus. Altera verò ſignificatione

tione scientiam dicuntur habere diaboli, & quicunque in carne sunt. Ambiguitas altera, qua diabolus fœminam fefellit, sumta est ex arboris illius appellatione. Nam quũ arbor scientiæ boni & mali appellata est, non eò fuit appellata, quòd hæc arbor aut in se haberet boni & mali scientiam, aut in quemquam collatura esset per se fructus participatione: Sed quia in signum fuerat data à Domino, vt homo significatione symbolica ejus doceretur in bono persistere, & cavere à malo: Diabolus verò, qua arte omnibus fermè temporibus in Ecclesia vsus est, arborem scientiæ boni & mali ostendit appellatam, quòd cibus ejus scientiam boni & mali haberet traderetque participantibus: nempe non sacramentali vnione, sed plus quàm sacramentali; quam tamen omnes istius doctrinæ artifices sacramentalis vnionis appellatione solent obtegere. Tot igitur gryphis circumcessam & occupatam fœminam à Diabolo, & à Deo sibi permissam, & à viro absentem; non mirum est, tamquam vas infirmius, allisu Satanæ fuisse fractã. Iam verò, vt hæc omnia versui quinto applicentur, videndum nobis est, quæ mendacia quibus partibus versus illius insint. Duo sunt igitur mendaciorum genera, quibus diabolus in his verbis vsus est. Prius fuit blasphemum in Deum; posterius, in homines injurium: ex quo puta humani generis cædes consequuta est. Blasphemia in Deum his verbis continetur, *Nam novit Dominus, quo die comederitis de fructu arboris istius, fore vt aperiantur,* &c. Itemq; in illis: *Et vos fore sicut Deos.* Et primùm quidem blasphemum illud fuerat, quòd veritatem interminationis divinæ Diabolus elevaverat, præcedente versu; sed illud impudentioris est adhuc blasphemiæ, quòd Deum secus novisse confirmat quàm homini indixisset. Impudentissimum verò, quòd miseram creaturam misero facto suo Deo adæquatum iri cõfirmaret. Illa autem blasphemia quæ de scientia Dei prædicatur, *Novisse Deum,* &c. duobus modis in Deum contumeliosa est. Nam à fal-

ſitatem Dei objicit, quo nihil magis impium dici aut cogitari poteſt? Deinde verò accuſat invidentiæ: quæ res vel vnica argumentatione demonſtrari poteſt, à definitione invidi. Invidus enim eſt, qui alienum bonum videre non poteſt bona mente, ſed adverſatur ipſum. Deus autem ex hypotheſi Satanæ mendaciſſima hominis bonum cognitum videre non potuit, ſed illud averſatus eſt: Invidus igitur. At quanto meliùs fœmina hoc telum à ſe repuliſſet tantæ bonitatis, quæ in ipſa & extra ipſam omni ex parte refulgebat, recordatione? Nam ex contrario poterat retorquere: Non eſt invidus, qui omne bonum facit atque communicat. Hoc autem de Deo verum eſt. Ergo & illud. Atque hanc perſuaſionem & telum perſuaſionis omni tempore adhibuit Satan, quum ſtudio alicujus ſcientiæ, quæ nec ſecundùm Deum, nec ſecundùm naturam eſt, homines inflammavit. Genus autem illud mendacij vt meliùs intelligatur, cætera membra prætereà videnda ſunt. Spondet igitur Diabolus duo bona hominibus eventura fructus illius participatione, & ſponſionem auget circumſtantia, tamquam ludificãs interminationem Dei, quum inquit; *Quo die comederitis de fructu illius arboris, fore* &c. Prius bonum quod ſpondet Diabolus, eſt, homines eſſe viſuros: poſterius, fore tanquã Deos. Prioris boni quod promittit Satanas, vel cujus ſpem facit, propoſitio ſimiliter eſt ambigua, vt non obſcurè oſtendit Moſes in verſu 7. Nam quum dicit *fore vt ſe aperiant oculi ipſorum*, ſpem oſtendat majoris cujuſdam viſus *κατά τι*, id eſt, per cõparationem præſentis illius viſus quo præditus erat homo cum viſu futuro, ſi obſequeretur ſuaſionibus ipſius. Non enim putandum eſt Diabolum fœminæ cæcitatem objeciſſe, aut ita deſipuiſſe fœminam vt ſe in præſtantiſſima illa conditione crederet cæcutire; hanc enim fœminam hæc interpretatio magis deterruiſſet à conſilio Diaboli: ſed tantùm his verbis oſtendit Satan, hunc viſum quo fœmina erat prædi-

ta, ni-

ta, nihil ad illum esse quem erat consequutura, si paréret monitis ipsius. Alterum bonum, quod fœminæ ostentavit Diabolus continetur altero membro versus, quum inquit; *Et eritis sicut dij, scientes boni & mali*. Ac prius quidem membrum, *eritis sicut dij*, varias interpretationes habet. etsi explodenda omninò est eorum sententia, qui hæc εἰσωδῶς vel de substantia accipi putaverunt, tamquam si Diabolus dixisset, aut fœmina credidisset se futuram Deo parem secundùm essentiam suam. Propria igitur interpretatio hæc est, judicio meo, quòd persuaserit Diabolus, & fœmina crediderit se ad majorem aliquam Dei similitudinem secundùm qualitates nonnullas esse perventuram, & divinas quasdam virtutes hoc facto adepturam. Quæ autem virtutes eæ sint, quarum spem fecit Diabolus, sequens determinatio evidenter explicat, quum addit, *Scientes boni & mali*, tamquam si diceret cognitionem, & quidem vtilem, ipsius menti accessuram esse cum summa illa scientia, quam Deus habet, comparandam. Atque hæc quidem simplex est horum verborum sententia; sed fallacia Diaboli multiplex. Primùm enim quum his verbis vtitur, *Eritis sicut dij*, nefariè illudit creationi hominis, de quo Deus pronunciaverat, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Qua in re blasphemat dupliciter, tùm quia non esse id perfectum à Deo docet quod instituerat, imaginem quidem suam voluisse, at non effecisse; deinde quòd fœminam eò vanitatis adducit, vt credat ampliorem à se cum Deo similitudinem obtineri, & facto suo cōparari, & quidem esu fructus de arbore illa haberi posse. Altera verò blasphemia est, qua fœminæ illusit, quòd ex ipso arboris nomine, vt antè diximus, illudit ei, & amphilogias alias nectit ex alijs, quibus fœmina miserè circumducta est. Nam & nomine sciētiæ fallit, & appellatione arboris, quòd arbor scientiæ boni & mali diceretur, & promissione mēdace quam ex arboris illius appellatione

ostendit consequi, nempe quòd scientiam boni & mali adepturi essent, si fructu illius vescerentur: Quibus ex rebus omnibus consectaria sunt hæc.

1 Vocem Diaboli numquam à nobis vel momento audiendam esse, sed ipsum omnibus modis propulsandū.

2 Scientiam Dei infinitam sic nobis admirationi esse oportere, vt ne vel minima quidem suspicione de veritate illius aut de bonitate conjuncta dubitemus.

3 Semper id nobis videndum esse, ne altum sapiamus; sed acquiescamus in ea sorte quam Deus nobis dederit; nec ampliùs videri, esse, aut nosse cupiamus, quàm prout nobis admetitur Deus ex demenso donationis Christi, Ephes. 4.

6 *Videns itaque fœmina bonam esse arborem illam ad cibum, & expetendam esse arborem ad aspectum, desiderabilemq; arborem ad assequēdum intelligentiam; accepit de fructu illius & comedit: deditq; etiam viro suo & comedit.*

Ex antecedente consilio sequitur altera hujus narrationis pars; nimirum de facto quod ex consilio & communicatione sequutum est. Hujus autem facti duæ sunt partes singulis membris hujus versus distinctæ. Prior est, de lapsu fœminæ: posterior de lapsu viri. In lapsu autem fœminæ duæ partes observandæ sunt, causa interior lapsus, & modus illius. Causam interiorem lapsus appellamus ea omnia quibus abducta est fœmina, vt causam exteriorem, id est, tentationem à Diabolo extrinsecus oblatam sequeretur. Nam Diabolus, tamquam mortis imperium habens, primus author fuit seducendæ Evæ suâ, vt Paulus loquitur, πανουργίᾳ: secundò verò accessit fœminæ assensio, qua Diabolo extrinsecus tentanti suum corpus vel corporis instrumenta commodavit, vt per ea venenum ipsius animo imbiberet. Instrumenta fuerunt sensus, per quos Diabolus immisit virus suum in illam: præcipuè autem aures, per quas mentem illius fascinavit impia

 persua-

persuasione, & oculi quos per objectum movit, vt Moses indicat dicens: *videns itaque fœmina*, &c. Tria sunt autem quæ fœminæ fuisse visa exponit Moses, vt ad vescendum interdicto fructu adduceretur. 1. quòd fructus illius arboris visus est bonus ad gustum cibumque futurus. 2. quòd jucundus oculis. 3. quòd desiderabilis ad assequendum intelligentiam. Sic commoditatis, amœnitatis, & vtilitatis specie fœmina authore Satana per sua ipsius corporis instrumenta & mentis infirmitatem consensit, & se permisit tentationi Satanæ; eaque ratione intus & foris persuasione lethali occupata, incidit in illud impietatis genus quod dicimus ἀπιστίαν, vt Moses ostendit his verbis; *Accepit de fructu illius & comedit*. Alterum verò factum secundo membro, de lapsu hominis, similiter causam antegressam narrat & factum ipsius immorigerum. Causa fuit fœmina agente Diabolo, quæ transgressioni fuit, vt inquit Apostolus, quum daret etiam viro suo comedendum: Factum verò, quòd vnâ comedit vir illius, ac proinde vterque reus factus est ἀπειθείας, & totam posteritatem suam eodem modo commaculavit. Hæc itaque præcipua sunt documenta hujus versus.

1 Nihil sapiendum, cupiendum, aut aspiciendum esse, quàm secundùm Deum: ac proinde mentes nostras & cogitationes semper à cõsuetudine oculorum, sensuum, & carnis ipsius avocandas.

2 Vt firmissima turris est nomen Domini & obsequium in nomine ejus: sic contrà certissimum esse arietem labefactando homini perdendoque inobsequẽtiam.

3 Eam verò esse naturam inobsequẽtiæ vt nunquam otiari possit, sed alijs quoque idem malum intendat, in quod ipsa præceps defertur: & abripi eos omnes qui ipsi vel levissimè annuũt. Hîc ergo incidit quæstio, quodnam primum hominis peccatum fuerit? quod momentum? quod nomen illius? Hæc autem quæstio vt commodè solvi possit, distinctio vna præmittenda est: nempe quum

primum hominis peccatum dicitur, modò intelligi totum ipsum factum quo homo peccavit, modò verò intelligi primum illum motum quo à Diabolo in peccatum se rapi passus est: ac propterea hæc duo non esse confundenda, vt nonnulli faciunt in hac quæstione explicanda: sed principium illius peccantis actionis à tota actione secernendum. Ac vniversum quidem illud peccatum, quo homo se & posteritatem suam pessumdedit, à Paulo ad Romanos 5. optimè inobedientia appellatur. Nam quicquid homo aut illudenti Satanæ credidit, aut suadenti cōfidit & assensus est, aut denique suo ipsius motu, quamvis impulsus aliunde, perfecit; id totum optimè deputatur inobedientiæ, Nam & credēdo, & rebus creditis obsequendo erat futurus obsequens; qui ex contrario discedendo à fide & fidei obsequio reū seipsū peregit corām Deo inobedientiæ. Sed de altero videndū est, nēpe quinā primus hominis motus fuerit, qui peccatū meritò appellari possit. Hanc quæstionē duabus rebus explicatis cōmodè (nisi me animus fallit) absolvemus. Primùm enim videndum est quæ partes sint hominis peccātes: deinde verò qui modus vel qui ordo tentationis, qua homo partibus suis infirmatis & labefactatis ad funestum hoc peccatū abreptus est. His duobus expositis, nō est futura difficilis totius hujus quæstionis explicatio. Partes igitur hominis peccantes ex ipsa naturali hominis constitutione petendæ sunt. Prima & potentissima est illa animæ facultas, quæ vt cæteris pręsit à Deo data est; nempe τὸ λογικὸν, quam partem propterea philosophi ἡγεμονικὴν appellaverunt. Atq; hæc pars ita est animæ propria, vt suū illud ἡγεμονικὸν sibi soli & semper vindicet, neque facultatem illam vnquàm cum corpore, sed effecta solùm communicet. Secūda est τὸ θυμικὸν, quam facultatem vocant irascibilem, qua homo id quod malum, molestum, aut odiosum est, à se aversatur; ita vt ex officio quidem huic præesse τὸ ἡγεμονικὸν oporteat, sed jam depravatione naturæ omnia in contrarium
versa

versa sint. Tertia est τὸ ἐπιθυμητικὸν, quam facultatem concupiscentem vel concupiscibilem vocant: cujus facultatis eadem planè est ratio, quæ istius etiam facultatis proximè præcedentis, si illud exceperis, quòd vt τὸ θυμικὸν aversatur malum, sic contrà τὸ ἐπιθυμητικὸν appetit bonum, sive quod est, sive quod videtur esse. Atque hæ duæ partes ita sunt facultates animæ, prout in caput 2. ostendimus, vt cum corpore affectæ sint, ex quo anima corpori adunata quodammodo se movet ipsa, & aliunde moveri potest: súntque censendæ (vt Scholastici loquuntur) compositi. Quarta est τὸ αἰσθητικὸν, sentiens facultas aut sensilis appellata, quæ ita est corporis, vt singulis suis partibus atque instrumentis ad cæteras facultates momento transferat quæcumque ab ea percepta sunt. Iam verò de tentatione videamus, id est, applicatione ad has partes quæ in homine omnium consensu positæ sunt. Hic verò duo distinctè videnda sunt. 1. Vtrùm omnes hæ partes hac tentatione affectæ sint, an verò aliquæ. 2. Qui ordo fuerit tentationum tum offerendarum à Diabolo, tum etiam ab homine accipiendarum. Quæ partes huic tentationi Satanæ infectæ fuerint, non obscurè ex Mosis ipsius verbis demonstratur. Primùm enim videtur Satanas τὸ θυμικὸν excitare in Deum voluisse, vt qui motus est omnium organicorum levissimus & maximè præceps, quum his verbis apud fœminam vteretur, *Etiámne dixisse Deum*, &c. tamquam si interdictum illud homini injurium esse voluisset ostendere: sed quia hoc ariete vidit fœminæ constitutionem facilè mutari non posse, vt quæ responsione sua docuerit se acquiescere optimo animo interdicto Dei; propterea ad alias partes Satanas transcurrit, & omisso repentè θυμικῷ reliquas invasit potentissimè. Restat igitur, vt dicamus hujus peccati administras fuisse partes τὸ ἡγεμονικὸν, τὸ ἐπιθυμητικὸν, καὶ τὸ αἰσθητικὸν. Vix enim videtur verisimile vtcunque

Satanas odium & invidiam in mente fœminæ excitare voluerit, fœminam eo repentè delapsam: & prætereà nihil ejusmodi ex narratione Mosis in 6. versu confirmari potest. Ordo autem tentationis, prout eam diabolus obtulit, hic fuit, quòd primum τὸ ἡγεμονικὸν aggressus est, quum ad responsum fœminæ subjiceret hæc verba, *non utiq. moriemini: nam novit Deus*, &c. Deinde verò non dubium est, quin successivè obscurata mente & ratione fœminæ ἐν τῷ ἡγεμονικῷ, τὸ ἐπιθυμητικὸν invaserit, quum diceret, *novit Deus fore ut quo die comederitis de fructu istius arboris, aperiantur*, &c. Postremò autem his partibus in tentationem vocatis sollicitata est pars illa bruta & nullo negotio adducta, cujus meminit Moses in versu 6 ex hoc ordine tentationis inferendę, ordo colligendus est, secundùm quem tentatione fœmina perturbata, atque in eam delapsa est. Ac proinde qui gulam, aut sensum oculorum, aut aliquid ejusmodi simpliciter primum esse fœminæ peccatum putant, ij meo judicio nec Satanæ tentationem satis vident, nec tentationis modum. Restat igitur ut primum illum peccantem motum in fœmina, aut ἐν τῷ ἡγεμονικῷ, aut ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ statuamus. Qui τὸ ἐπιθυμητικὸν primum fuisse motum peccantem in fœmina putant, ij aliquam speciem habent veritatis: sed tamen hoc neque tentationis ordini videtur satis convenire, neque ipsi narrationi Mosis quæ versu 6. posita est. Tentationi, quia Mose teste, Satanas incepit ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ, & in eo corrumpendo perstitit constantissimè; Narrationi, quia Moses principium peccati fuisse ostendit quòd *vidit* mulier: vidit autem non propriè, sed figuratè, id est, visum est ipsi, nempe in mente & τῷ ἡγεμονικῷ arte Satanæ excæcato. Ac proptereà Paulus cōmodissimè 1. Tim. τὴν ἀπάτην, id est, deceptionem principium peccati statuit, cujus peccati proprium objectum & per se est τὸ ἡγεμονικὸν. Rursum verò in corruptione τοῦ ἡγεμονικοῦ, quemadmodum diabolus duobus modis illam principem ani-

mas

mæ facultatem aggressus est; sic etiam non dubitamus, quin successivè tentationis illius virus fœmina imbiberit. Nam tentavit Diabolus primùm, fidem divinæ interminationis elevando, quum in θυμικῷ priore illo impetu nihil præstitisset. Primum igitur hominis peccatum fuit ἀπιστία, eaque particularis, nempe quòd minis à Deo pronunciatis fidem non satis habuerit. Ex eo primo gradu ad alterum transscendit fœmina, vt Pauli vtamur verbis. Nam vbi non satis credidit veritati quam Deus pronunciaverat, posteà devenit eò vt crederet mendacio. Nam veritati vt non satis crederet, sed vt eam in dubium vocaret quodammodo, his verbis adducta est; *Non moriendo moriemini*. vt autem mendacio crederet, & pro veritate amplecteretur ipsum, adducta est sequentibus, *Nam novit Dominus*, &c. Eâdem verò operâ, vbi τὸ ἡγεμονικὸν tenebris mendacij fuit excæcatum, consequuta est τοῦ ἐπιθυμητικοῦ & τοῦ θυμικοῦ corruptio. Postremò verò successivè τὰ αἰσθητήρια, quæ proximarum animæ facultatum sunt organica proximè & per se, ad corruptionis illius ministerium deducta sunt. Atque hæc singula demonstrat Moses in narratione sua, versu 6. Narrationis illius membra sigillatim expendantur. Atque hæc quidem mea de ea quæstione sententia. Quòd si quis tamen non successivè fuisse peccatum à fœmina, sed momentò contenderit (etsi hæc sententia eo evertitur, quòd tentationem Diabolus ipse successivè obtulit, ac proinde non nisi successivè eam potuit fœmina percipere) non tamen illud statuendum videtur esse, vt demus corruptionem τοῦ ἡγεμονικοῦ non fuisse quidem priorem tempore, sed tamen priorem fuisse ordine caussarum: quia etiamsi Diabolus τὰ αἰσθητήρια fascinasset, eodemque fascino τὸ θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικὸν sollicitavisset, non tamen proptereà fuisset corrupta hominis natura integro τῷ ἡγεμονικῷ. Ac proptereà τὸ ἡγεμονικὸν, tamquam arcem, antiquus ille serpens invasit veteratoriè. Quam rem demonstrat evidentissimè illud loquendi ge-

nus,quo Moses vtitur in versu 7. *fuisse apertos oculos amborum*, vt in eum locum mox explicabimus.

Vna adhuc quæstio superest, An idem de viro censendum? & quomodo ad eamdem labem perductus sit? De eo paucis in hunc modum statuimus, virum nõ fuisse per serpentem sollicitatum, aut per diabolum serpẽtis instrumento; sed per fœminã, quę diabolo tentatori suo locum dederat. Quam in sententiã dicit Apostolus, Adamum priorem non esse transgressum, sed fœminam fuisse ipsi ad trãsgressionem. Quomodo autẽ, licet nõ ita explicari possit, omnino constat virũ seductũ fuisse opera fœminæ, vt ipse excipit deinceps hoc ipso capite. Sed vtrùm iisdem Satanæ argumẽtis à fœmina adductis, an verò sola blãda fœminæ appellatione, de eo nõ æquè possumus cõfirmare. Quanquam probabilius mihi videtur istud, fœminam non argumentorũ ordine vsam esse, vt Satanas fecerat (id enim dubitationem viro fuisset cõmoturum) sed tantùm blanda viri appellatione & fructus oblatione virum ad cibum illum capiendum devenisse; præsertim cùm ipsi longè minor dubitandi occasio præberetur quàm fœminæ; quia fœmina insolenter à serpente sollicitata fuerat; vir autem à consorte vitæ, bonorumque omnium divinorum & humanorum συμμετόχῳ.

7 *Tunc aperuerunt se oculi amborum, & agnoverunt nudos esse se: consuerunt q́; folia ficus, & fecerunt sibi cingula.*

Hæc tertia est narrationis pars, de rebus ex lapsu & peccato hominis consequentibus. Consequentia autem ponuntur duo, quæ ex peccato nunquã non proficiscuntur: vnum est, conscientia mala: alterũ, conscientiæ malæ obtegendę studiũ. Conscientiã malam exponit Moses, priore membro: obvelandæ illius studiũ, posteriore versus. Ad conscientiæ malæ descriptionem duo pertinent: vnum, vt intelligamus, quid sit conscientia: alterum vt cujus rei conscientia hominem premat videamus. Quid sit con-

conſcientia, exponit Moſes evidentiſſima ſimilitudine, quum dicit, *aperti ſunt oculi amborum*: Cujus rei ſenſu afficiantur, demonſtrat illis; *Agnoverunt ſe nudos eſſe*, nempe dum à Deo ampliùs excitantur.

Poſtremò tertium quoq; poſtulatum (vt ita dicamus) eſt præſupponendum: nempe ſi fuerũt hominis facto oculi ipſius clauſi ne videret tentationem atque animadverteret præſtinguente Satana, Ergo antè homini oculos à Deo fuiſſe datos, eosque apertos beneficio ejus, vſque dum maleficio hominis occluſi & excæcati ſunt, de quibus ὕϛερον πρότερον pauca dicturi ſumus. Oculos mentis homini fuiſſe datos, neque ſolùm aperiendos potentiâ, verum etiam actu ipſo apertos, vel ex eo ipſo cognoſcimus quod ſuprà cap. 1. verſ. 26. & 27. homo ad imaginem Dei conditus fuiſſe dicitur. Quis autem magis videt omnia, quàm Deus? & quis magis ſecundùm Deum in rebus creatis, quàm imago ipſius? Lucem ergo Deus habet abſolutiſſimam, infinitamque, atq; adeò lux ipſa Deus eſt: ſed per cõſequens lucem habere dicendus eſt, quisquis ad imaginem Dei conditus fuiſſe legitur. Etſi lux quum de Deo prædicatur, propriè atque vnivocè; quum de imagine ipſius in rebus creatis, æquivocè prædicatur: Hac igitur luce mentis homo præditus fuit ab ipſo conditu, ſecundùm quam Deum lucis ἀρχέτυπον, & ſe lucis μέτοχον κατὰ μετάδοσιν noviſſe potuit. Quum verò facto hominis culpáque indigniſſima ipſe à Deo, qui ſol eſt & lux ipſius, averſus eſt; tum non potuit homo non fieri tenebræ, vt Ioannes loquitur in Evangelio: & prout ex natura privationis ſecundùm Moſem intelligendum eſt, non ſtetit per ipſum, quominùs facto ſuo vniverſam lucem illam mentis à Deo creatione inditam, & providentia paterna ſuſtentatam amitteret. Vt enim duo ſunt ſecundùm corpus neceſſaria ad viſum; vna, lux interior videns; altera, exterior quæ videtur, & quæ internam illam videndi facultatem objecto excitat: ſic etiam de mentis

humanæ visu sive luce cogitandum est. Lux indita, est lux conscientiæ; oblata, est lux Dei: ad hanc illa tātisper dum respicit, videt; dum aversatur, visu privata est: neque solùm commoditate videndi, vt fit in corporeo aspectu per noctem; sed etiam interna facultate: quia Deus vtramque excitavit, hāc intus, & illam foris. Homo autem hoc suo crimine totus defecit à Deo; totus ergo luce per factum suum destitutus est, nec stetit per ipsum, quo minùs repentè, provt merebat ipse, ita deturbaretur in tenebras extimas justo judicio Dei. Per se igitur lucem mentis amisit funditus; per accidens, id est, per gratiam Dei singularem adhuc aliqua lucis scintilla, quamvis homine in peccatis mortuo, conservata est. Hujus scintillæ, quam Deus in homine corrupto conservavit, nomen est conscientia: est enim tamquam scintilla intus lucens, hominemque explorans, quamvis exiliter, vt secundùm ejus testimonium probetur aut excusetur homo apud seipsum coram Deo, hujus scintillæ vindice constantissimo. Hanc scintillam intus homini prælucentem denotat Moses his verbis, *aperuerunt se oculi amborum*, id est, etsi homo nefario suo ipsius crimine lucem illam penitus exstinxit, quam Deus principio in mente ipsius accenderat; tamen noluit Deus repentè hominem, prout meritus erat, pessumdare, aut etiam totum in tenebris sinere, vsque dum miser & cæcus in foveam perditionis rueret: sed Deus in funesto illo casu exundātis peccati in natura nostra scintillam quamdam lucis, velut in medio diluvio aquarum, conservavit; fecítque vt qui suo ipsius facto cæcus est, is reliquias lucis tenuissimas beneficio Dei creatoris sui habuerit, & ex eis aliquid viderit, vt eò amplius illustraretur Dei in peccatores beneficentia. Quid autem & quātum sit illud, quod illo naturali fomite & scintillula homo videre possit, Moses demonstrat verbis sequentibus, *videruntq́ se nudos esse:* tamquam si diceret, Tantum abfuit vt illa naturalis scintilla lucis beneficio Dei reservata homini præluxerit ad justam

justam cognitionem Dei,& sui peccati conscientiam, reparationis vel restitutionis fidem, & cætera quæ ad Dei gloriam sunt opus, salutemque nostram: vt contrà miser homo, tamquam μύωψ, vel lusciciosus, nihil nisi breve viderit & quidem paululum. Nam neque oculos mentis extra se potuit attollere, neque in sese ipso videre quod visu est opus; sed tantùm ex signis & consequentibus adduci ad suæ miseriæ conscientiam. Non enim lux illa conscientiæ homini præluxit, vt de peccato seriò; sed vt de nuditate externa magis quàm de causa nuditatis, & omnibus infirmitatibus quibus se ipse induerat, cogitaret. Atque hinc videmus, primùm non esse eam vim cõscientiæ, vt peccatum perfectè ostendat; sed quantum satis est hominibus εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Deinde verò, eam esse naturalem hominis vitiositatem, vt etiam reliquam illam conscientiæ lucem oppugnet diligentissimè, & aliud quidvis cogitet potiùs quàm sensum horrorémque peccati sui; quia peccatum homo velari, non curari cupit; augeri, ac non aboleri. Atq; hæc de priore membro hujus versus: Alterum membrum eodem pertinet ac modò diximus, hominem de velando, ac non de curando peccato cogitare, quum inquit Moses, *Consuerunt folia vel ramos ficus & confecerunt sibi cingula*: hoc est, Non de peccato laboraverunt abolendo, non de tollenda offensione Dei, non de concilianda illius gratia, non de medijs ad comparanda hæc bona pertinentibus: sed tantùm de naturali pudore dissimulando; cujus causam sinebant intactam, modò nuditati suæ, cujus pudebat ipsos, consulerent. Itaque folia ficulnea ad eam rem adhibuerunt commodè, & ex re præsenti sibi tegmina curaverũt; tamquam si velata nuditate velatum foret peccatum, cujus tenebãtur coram domino. Atque hæc naturalis est in homine quoque ὑπόκρισις.

8 *Tum audiverunt sonum Dei itantis per hortum ad ventum illius diei. Itaque abdidit se homo & uxor ipsius*

metu Iehovæ in medio arborum illius horti.

9 *Quapropter vocavit Iehova Deus hominem, dixitq; ei, vbinam es?*

10 *Qui dixit, vocem tuam audiveram per hortum, & metui quòd nudus essem, atque abscondi me.*

11 *Dicenti verò Iehovæ, quis indicavit tibi quòd nudus sis? an de fructu arboris illius de quo præceperam tibi vt ne comederes, comedisti?*

12 *Dixit Adam, hæc fœmina quam dedisti mecum, illa ipsa dedit mihi de fructu arboris illius, & comedi.*

13 *Dixit Iehova Deus fœminæ, quid hoc est quod fecisti? & dixit fœmina; serpens iste seduxit me, & comedi.*

Secunda pars narrationis, quam hoc capite statuimus, est de justitia Dei quæ contrà hominis impietatem & injustitiam nō potuit esse otiosa. Itaque de hac justitia Dei adversus hominem peccatorem agente tria in vniversum ordine convenientissimo à Mose narrantur facta.

Primum est cognitio, à versu 8. ad 13.

Secundum est sententia lata de rebus cognitis, à versu 14. ad 21. vsque.

Tertium denique est sententiæ exsequutio, inde ad finem capitis.

Cognitionem à Deo habitam exponit Moses ratione humana, tùm vt justitia Dei planè asseratur vindiceturque ab omnibus hominum querelis atque calumnijs, tum vt omnibus hominibus sit exemplo, quomodo in judicijs ferendis ipsos religiosos, prudentes, & cautos esse oporteat: quemadmodum in lege posteà repetitum est. Nam cognitionem hanc à Deo causa sui fuisse institutam qui putat, is Deum non esse αὐταρχῆ & omniscium (vt loquuntur) putat. Ad justam autem cognitionem duo sunt opus in rebus forensibus, personæ, & testimonia. In personis sunt Iudex, reus, testis: In testimonijs quæruntur duo, testium fides, & reorum confessio. Hæc omnia singulis ferè versibus Moses pertexuit, vt studium amplissi-

plissimum justitiæ non solùm exercendæ, sed etiam demonstrandæ probandæque confirmaret, quo Deus semper in genus humanum vsus est. Nam primùm Deus, tamquam judex, pervestigat reos, versu 8. Secundò, citat, vt compareant coràm, versu 9. tùm comparentes examinat sumta occasione ab effectis, vt causas mali ab ipsis profectas reuinceret, versu 10. Deinde verò causa proxima deprehensa comparataque ex Dei ipsius quæstione, versu 11. ex confessione viri, versu 12. ad quæstionem de facto fœminæ transit versu 13. & ex responsione hujus ad fontem peccati perductus, putà ad factum diaboli, qui homicida & mendax à principio fuit, ad sententiam ferendam devenit, versu 14. & sequentibus. Atque hæc omnia δραματικῶς sive διαλογιστικῶς ad ampliorem rei evidentiam à Mose exponuntur. Itaque plana est hujus totius loci sententia. Restat vt quædam solummodò singularia perstringamus, antequàm ad sententiæ explicationem veniamus. Primùm igitur in judicis adventu, qui narratur 8. versu, id observandum est nobis, in hac historia sic exponi Deum, tamquam judicem cum majestate & gloria summa comparentem, & cum magno strepitu, ventorum alis (vt Psaltes loquitur Psal. 18. & 104.) insidentem, atque advolantem, vt gloria illa & amplitudine majestatis suæ cùm res omnes creatas, tùm vel maximè reos de quibus agebatur afficeret. Quemadmodum autem Deus magnificentissimè ad judicium venisse dicitur, sic cōtrà reos turpissimè conspectum judicis fugisse, altero membro versus 8. nempe tum vrente intus conscientia tamquam injecto teste, tùm verò majestate Dei foris consternāte ad solum strepitū adventus ipsius. Id verò ridiculum est, quòd rei inter arbores illius horti delitescere se posse putaverūt: Vnde animadvertimus quāta sit vis conscientiæ, quæ dum luce naturali sua peccatum hominis redarguit, eadem opera mentem ipsi adimit, ne quādo peccatū

pœnam ratione vlla possit effugere.

Ordo autem sapientissimam Dei ordinationem in quæstione habenda confirmat satis: omnino tamen necessarium est, vt quæ occasiones ab homine datæ sunt in hoc quæstionis habēdæ ordine, observetur. Nam primùm homo, vt sibi male fuit conscius, declinavit judicem & cognitionem ipsius; & propterea cupivit inter arbores horti delitescere, 8. versu. Postquam verò à Deo quasi prehensus manu, comparere in judicio coactus est, tùm partim declinatione criminis aliud agendo atque adducendo, versu 10. partim probato objectoque crimine, translatione illius vsus est: quæ omnia à patre mendacij subministrata sunt, & arma ὑπὸ ἐσχάτως effingunt nobis luculentissimè. Versus igitur nonus citationem in jus operâ judicis factã nobis exprimit. Nam Deus primùm Adamum inclamavisse dicitur: deinde verò vbinam esset, quæsivisse. Vtrumque verò; non quòd Deus hac formula opus habuerit, cui omnia sunt præsentissima; sed potiùs quòd hac ratione visum fuerit Adamum suæ in cogitando fugiendóque vanitatis evincere, & graviùs afficere sceleris anteacti conscientia, si forte ex hac evictione divina ad ingenuam confessionem peccati sui, resipiscẽtiam, & deprecationem adduceretur. Sed nondum hoc modo fracta est hypocrisis: Nam contrà ampliùs tergiversatus est Adam, versu 10. & dedit operam vt veram sui mali caussam dissimularet, speciosam solùm adduceret. In hac autem respõnsione Adami, quum in jus à Deo citatus est, observandum est primò ex ipso Scripturæ vsu, Adamum non vltrò, sed vi & necessitate stitisse se coram domino, vt qui voluntate & consilio priùs fugisset conspectum illius. Ac propterea non respondet vt pij famuli in Scripturis solent, Ecce me: sed vt antè declinationem judicis fuga procuraverat, sic etiam hoc loco declinat cognitionem ejus tortuoso quodam (vt ita dicamus) respondendi modo. Nam primùm, quasi in ipsum judicem rejectus es-

rus esset causam fugæ suæ, respōdet, *Vocē tuā audivi in horto*: tamquam si diceret, tu antehac visus es mihi hunc hortum attribuisse, velut commodum quoddam quietis & tranquillitatis domicilium: nunc verò, quum in hunc hortum advenis, prout terribilis est majestas tua, ne hunc quidem ipsum hortum finis sedem mihi tranquillam esse: ita me vbicūque sim, afficit amplitudo majestatis tuæ. Atque hic primus defensionis locus, in majestatem Dei blasphemus. Alter responsionis locus est, *metui, quia nudum sum, & abscondi me*: tamquam si diceret, Prima causa & summa est in te, qui majestatem tuam erga me non dissimulas: posterior & aliqua causa in me residet, qui nudus sum, & nuditatis meæ nomine pudore afficior, eo quòd nudum creavisti me: Atque hæc nuditas mihi delitescendi occasionem præbuit. Sic ergo exemplum hoc versu exstat impietatis summæ, qua flagrat ὑπόκρισις. Nam primùm nihil cōtendit, nisi vt seipsum purget quocunque modo: Secundò ad purgationem sui duobus modis vtitur sceleratissimis; tùm quòd omnia, quoad ejus fieri potest, in alios rejicit, tum quòd ea ipsa crimina, quæ in se dissimulare non potest, levat indignissimè. Postremò autem horrendum est illius impietatis crimen in hypocrisi, quòd suæ ipsius culpæ causam directè & obliquè, quibuscūque modis potest in Deum ipsum, qui extra culpam omnem est, deonerare nō dubitat: Directè, vt quum dixit Adam, *vocem tuam audivi in horto*; obliquè, vt quum dixit, *quia nudus sum*: tamquam si diceret, prout nudum creavisti me. Hanc verò impiam Adami declinationem sic eludit Deus versu 11. vt ex illa ipsa responsione (vt vocant) declinatoria materiam sumat cognoscēdi, & quæstionem habendi de crimine ejus. Nam 1. causam hanc posteriorem nuditatis pervestigat Deus, vnde nuditatem suam Adam cognoverit, priore membro versus: deinde verò causam veram nuditatis objicit, posteriore. Prior quæstio, vnde sciverit Adam nuditatem suam, proponi-

tur his verbis: *Quis indicavit tibi nudum esse te?* quibus verbis Deus Adamum evincit non aliunde quam ab ipso, & ipsius culpa, illam nuditatis non dico scientiam, sed conscientiam profectam esse; cùm nemo adhuc in orbe terrarum esset à quo illud Adam doceri potuerit. Sed prior hæc quęstio revera à Deo proposita est, vt sequentis criminationis fundamentum esset, quum inquit Deus, *An de fructu arboris*, &c. Sic enim habet argumentatio à consequentibus, Nuditas & nuditatis conscientia est peccati consequens: Tu Adam in nuditate es, premerísque illius conscientia: Hæc igitur est in te peccati consequens. Quamobrem age, excute conscientiam tuam, & bona fide dic, an de fructu arboris istius, de quo dixeram tibi ne comederes, comederis. Atque hîc maxima in quæstione habenda fuit Dei æquanimitas; qui hominem in peccatis jacentem tam blandè patienterque ad confessionem peccati sui apellaverit. Sed quemadmodum in citatione diximus, sic etiam in habenda cognitione videmus Adamum nihil nisi tergiversari: ad hanc enim quæstionem à Deo propositam respondet versu 12. Adam non per confessionem criminis, & deprecationem, vt peccatorem decuit; sed per translationem illius, versu 12. quod genus defensionis item fœminam docuit versu 13. hypocrisis naturalis nostra. Interrogationi ergo Dei respondet Adam confessione quadam; sed tamen ita vt per translationem criminis seipsum coram Deo purgare velit; & quia nihil tantopere ferebat ægrè quàm quòd peccati confessionem extorqueret Deus; propterea, vt hypocritæ solent, initium sermonis sui ducit à translatione criminis, quam varijs modis exaggerat: posteà verò vnica vocula concludit extortam illam confessionem sui maleficij. Primum autem in translatione criminis Adam in seipsum est injurius, quum suam ipsius carnem accusat, id est, conjugem & cōsortem vitæ suæ, vt seipsum purget. Nam (vt optimè monet Ambrosius institutione ad viduas)

viduas) ipsius fuit præesse vt caput, non autem vt pedes sequi: & propterea sibi, authoritati, & vocationi suæ injuriam facit, dum culpā in eam rejicit, cujus culpæ cavere debuerat, non in eamdem culpam devenire. Deinde verò fœminę quoq; est injurius, quum illam quasi contemtim accusat: *fœmina ista*, inquit: & dum infirmitatem illius exponit, prodit suam. Postremò verò in Deū quoq; injurius est quodammodo, quum inquit, *Fœmina ista quam collocavisti mecum*, tamquam si aut Deus illa copulatione fœminæ malè consulvisse viro, aut vir probè fuisset circumspectūrus & cauturus sibi, absq; fœmina fuisset: sic enim obliquè Deus perstringitur, & donū ipsius singulare vertitur vitio. Quod sophisma est Satanæ, non causam pro causa adducentis, vt hac blasphemia ampliùs irritetur Deus, cùm tamen his verbis Adam levamentum offensæ suæ procuraret. His positis, sequitur confessio, quum inquit, *Comedi*; brevis maximè, quia involuntaria. Est enim hypocrisis in alienis culpis exaggerandis artificiosissima, in suis transferendis laboriosissima, in agnoscendis, quia hoc officium non placet, brevissima. Atque hæc quidem de primi rei, id est, Adami cognitione. Hinc transit Dominus ad fœminam, & cognitionem de ea instituit per interrogationem, dicens versu duodecimo, *Quid hoc est quod fecisti?* etsi ex modo responsionis qua fœmina vsa est, videtur illud non fore incommodum si Ellipsin particulæ ה in hac interrogatione statuamus, tanquam si Deus non conditionem facti, sed causam quæsiverit, dicendo: Quare hoc fecisti? Rem enim ab Adamo pronunciatam Deus, vel fœminæ ipsius silentio, pro confessa habuit; & proinde causam magis illius facti confessi quàm genus postulat, nempe vt ea ratione ad primariū fontem totius mali transscenderet. Est autem in responso fœminę eadē declinatio, vt vocāt, sive exceptio, qua Adam vsus est in causa sua: deinde ejusmodi cōfessio.

Nam crimen suum in serpentem transfert: Translatione posita, demum confitetur, velut allevato suo per translationem malo. Sed quia hæc defensio vnius generis est cum defensione viri proximè præcedente versu, non sumus futuri in exponenda ea longiores. Hîc verò quæcunque documenta sunt, ad duo capita commodè referuntur: 1. est de sapientia Dei in tota sua administratione cũ peccatoribus, 2. de vanitate peccatorum, proinde cum Deo agẽtium, ac si infinitæ sapientiæ ejus possent illudere. Sapientia Dei in narratione hac demonstratur evidentissimè, quòd quamvis cognoscat omnia penitissimè, cognitionem instituit tamen; quòd reos accersit, quòd appellat ipsorum cõscientias, quòd evincit malefacti, quòd defensiones & purgationes audit moderatissimè, denique quòd summo convenientissimoque ordine omnia perficit quæ ad habendam de reis quæstionem sanctè, justè, legitimeque sunt opus. Reorum verò vanitatis documenta sunt hæc: hypocritas pudere non mali sui; sed rerum ex malo consequentium quæ in sensum carnis cadunt; Item stultè Dei conspectum fugere, quem non possunt fugere: tùm verbis & factis, quoad ejus fieri potest, obtegere & pudorem & peccatum suum coram eo cui omnia aperta sunt: prætereà revinci eos sua ipsorum conscientia, quæ ipsos terret, vexat, exagitat, & excarnificat: Ad hæc pressos & coactos crimen suum in alios transferre atque derivare, quoad ejus fieri potest: tùm aut serò atque brevissimè, aut numquam venire ad confessionem peccati sui: Postremò omnes operam dare diligentissimè, vt alij aliorum exemplo se tutentur, & vel ipsam Dei majestatem potiùs incusent, quàm seriò damnent vanitatem & iniquitatem suam.

14 *Quapropter dixit Iehova Deus serpenti illi, cùm feceris istud; maledictus esto præ omni iumento, & præ omni bestia agri: super ventrem tuum ito, & pulverem comedito omnibus diebus vitæ tuæ.*

15 *Prætereà inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, similiterq́; inter semen tuum & semen huius: hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum.*

Sententiæ dictio, quod secundum esse membrum hujus narrationis ostendimus, tribus membris conclusa est: quæ membra partibus quæstionis vel cognitionis respondēt, de quibus proximè diximus. Sed quia postremus quęstionis & cognitionis locus pro confesso habebatur, ac proinde non indigebat illo examine, neque etiam ad rem attinebat vt appellaretur aut Diaboli conscientia, aut serpentis sensus, vt indignitate rei afficeretur, prout hominibus factum fuerat: Idcircò Deus sine præcedente alia quæstione de Satana aut serpente habita, statim erumpit ad dictionem sententiæ in causam primariam efficientem, & impulsivam (vt vocant) criminis: quam rem Moses demonstrat his verbis, *Dixit Iehova Deus serpenti illi.* Tres sunt autem sententiæ divinæ loci: Primus, in serpentem, versu 14. & 15. secundus, in fœminam versu 16. Tertius denique in virum, tribus sequentibus. Antequàm autem ad explicandum primum sententiæ locum veniamus, duo videnda sunt. 1. Quem alloquatur Dominus in hac sententiæ dictione. 2. ad quem respiciat sententiæ hujus dictio, quia de his duabus quæstionibus variant interpretes. Quem alloquutus sit Dominus in hac sententiæ dictione, exponit Moses dicens, *Serpenti itaque dixit.* Quo ex sermone alij adducti sunt, vt hæc verba ad serpentem solum fuisse habita putaverint, nempe animantem illam brutam, qua Diabolus velut instrumento abusus est: Alij verò serpētis nomine, tamquam figuratè vsurpata voce, diabolum intellexerunt: Alij denique synecdochicè hac vna serpentis appellatione, & Diabolum abutentem serpente, & serpentem diaboli administrum intelligi duxerunt oportere. Nobis verò non est dubium, cùm ex rerum præcedentium in principio capitis comparatione, tum

verò ex natura ſententiæ ipſius quam dixit Dominus, quin ad Diabolum & ad ſerpentem diſtinctè orationem hanc Deus habuerit, & vtrumque juſtiſſima ſententia ſua mulctaverit; provt ſequentibus illius verbis exponitur. Atque ex hac interpretatione facilis eſt ſolutio quæſtionis alterius: puta ad quem ſententia quæ hoc loco dicitur reſpexerit, vel in quem à Deo juſtiſſimo judice dicta ſit. Conſtat enim ſententiam in eum fuiſſe dictam cui dicta eſt, quemadmodum in re forenſi conſtat ſententiam præſentibus & ad præſentes ferri atque pronunciari. Hujus autem ſententiæ partes duæ ſunt: Cauſa ſive maleficium, & judicium ſeu pœna illius. Cauſam vel maleficium Deus expoſuit his verbis, *Quia feciſti iſtud*: Iudicium ſequentibus, *Maledictus eſto*, & quæ ſequuntur. Cùm autem cauſa hujus ſententiæ maleficium exponitur, optimè circumſcribitur maleficium illud particula demonſtrativa, *iſtud*, nempè quia particula quaſi relativa eſt eorum omnium quæ antè vir & fœmina in confeſſione ſui criminis, exceptione, & defenſione adduxerant. *Quia*, inquit Deus, *feciſti iſtud*, id eſt, ſeduxiſti fœminam, vt te autore cùm ipſa comederet, tum virum eodem ſceleris adduceret. Atque hæc plana ſunt. Vnum tantùm opus eſt obſervare, quod in civilibus & criminalibus cauſis ab hominibus fieri ſolet, vt ſententiæ illius quam dicturi ſunt cauſæ præmittantur ad evincendum reum, afficiendam conſcientiam ejus, & ad reſipiſcentiam adducendam: denique ad juſtitiam judicij quod pronunciaturus eſt judex, aſſerendam & teſtificandam; Idem quoque a Domino ſemper factitatum eſſe, & quidem inde a principio ex quo peccatum in mundum ingreſſum eſt. Prætereà autem hac ratione ſemper viſum eſt Domino juſtitiam ſuam palam facere, homines expergefacere, & reipſa oſtendere quantopere ſit benefacturus ijs qui trepidaverint

rint

rint ad verba ipsius, seque misericordiæ ejus commiserint, conscij culpæ & infirmitatis suæ.

Iudicium verò quod hac sententia serpenti denunciat Deus, duas habet partes: vnam, qua Deus serpenti velut instrumento ad ministro peccati, importat pœnam, versu 14. alteram, qua diabolo supplicium & pœna indicitur, 15. versu. Quamquam si quis contenderit primum membrum 14. versûs communiter ad vtrumque respicere, non sumus magnopere refragaturi. Verum tamen simplicius id videtur esse, si ad serpentem restringatur propter institutam illam comparationem qua Deus vtitur: Maledictus esto præ omni jumento & præ omni bestia agri: hæc enim comparatio magis ad ea quæ sunt ὁμογενῆ quàm ad heterogenea videtur pertinere. Quæ autem sententia in serpentem a Deo lata est, ea continetur duabus partibus: quarum prior est, serpentem maledictum esse: posterior, maledictionis signa vestigiaque palam inter animantes omnes impressa ferre. Maledictionem Deus primo membro denunciat; Maledictionis documenta, posteriore versus. Maledictio his verbis imponitur, *Maledictus esto*, &c. cujus maledictionis genus & modus ex verbis Mosis cognoscenda sunt. Genus maledictionis accipiendum est secundùm rationem subjecti, cui imperata est maledictio. Subjectum est. serpens, animal brutum, hac terrena solùm & pecuina vita, dum Deo videtur, perfruens. Quamobrem maledictionem non secus oportet accipi, quàm respectu habito ad præsentem hanc pecuinam vitam illius, in qua serpenti maledictum esse voluit Dominus; ita vt in se miser sit futurus semper, & ad hominũ aliarumq; animantium conspectũ fugiens: & quòd, cùm in vsu rerũ ad vitam hãc suam pertinẽtium, tùm etiam comparatione cum cæteris animãtibus summas difficultates experturus. Hoc verò maximè demõstrat modus maledictionis, quem Deus adhibet illis comparationis verbis, *præ omni jumento*, putà

cui alioqui jugum servitutis grave est impositum, *& præ omni bestia agresti* putà cui bestiæ sua ipsius feritas atque solitudo omnium conspectum fugiens est etiam aliquod maledictionis divinæ documentum: tamquam si Deus diceret, Cùm animantes cæteræ homini datæ sint ad servitutem, & vsum, commodumq; ipsius, & ad ipsum pertineant ex donatione; homo autem suo ipsius maleficio sibi rebusque suis omnibus maledictionem conciliaverit; proptereà omnes quidem animantes maledictioni infestæ à Deo dicendæ sunt: verumtamen cùm animantes reliquæ non suo, sed hominis facto in maledictionem hanc inciderint, omnino æquum est vt gravior tibi maledictio, quàm illis imponatur, cùm tu, non per hominem, sed per te malum tibi accersiveris, & instrumentum fueris quo Dominus tibi à Deo institutus in tantum peccatum corruerit. Hîc verò objiciunt nonnulli, iniquum esse, vt propter alienum, putà Diaboli, factum animanti brutę maledicatur, eo quòd vt demus eam fuisse instrumentum mali, tamen brutum fuit instrumentum, ἀπροαιρέτως καὶ ἀβουλήτως ministrans voluntati Satanæ. Responsio est, imò verò iniquum foret, si instrumēto mali, quamvis ἀπροαιρέτῳ, & quidem tàm gravis & latè manantis mali instrumento, nullum supplicium fuisset impositum: quemadmodum videmus tum in lege Dei, tum lege naturæ, tum civili jure, tum etiam communi vsu eas ipsas res maledictioni cuidam & exsecrationi destinari, quę per se quidem non sunt maleficæ, cùm aut rationis, aut vitæ sint expertes, sed quæ tamen per alios ad malum perpetrandum fuerint occupatæ. Ejusmodi supplicia sunt quadrupedibus pauperiem facientibus irrogata, animantibus concumbētibus nefaria libidine, & alijs consimilibus: Similiter vestibus, & alijs rebus quæ aut Idololatriæ ministraverint, aut quas Deus sententia sua devoverit ad exsecrationis documentum: Sic denique patrem videmus operam dare, vt quo gladio filius se transfixerit, is maledictioni sit
ad

ad perpetuam rei abhorrendæ memoriam: & si quæ ejusmodi sunt. Quòd si tanta importaretur maledictio instrumento bruto, quanta authori mali qui abusus fuerit eo instrumento, non diffitemur aliquam injuriam ea in re videri posse, quia plus est in peccato causa efficiens libera, voluntaria, & principalis, aut etiam adjutrix, quàm bruta aut vitæ expers, cujus instrumenti vsus non sit αὐτπροαίρετος, ἢ αὐτοκίνητος sive αὐτόματος, sed ab alio solùm moveatur, citra vllum sensum aut distinctionem mali. Concludimus ergo Deum, vt justus est, justè serpenti, vt injustitiæ administro, secũdùm naturam & conditionem ejus, pœnam maledictionis intulisse. Nunc ad vestigia & documenta maledictionis veniamus. Vestigia vel signa aspectabilia maledictionis illius duo à Mose proponuntur: quorum prius ad situm corporis pertinet; posterius ad victum rationemque vivendi: ob quam rationem serpens à Deo damnatus est. Situm demonstrant hæc verba: *Super ventrem tuum iturus es*; vivendi rationem, illa, *comedes pulverem terræ omnibus diebus vitæ tuæ*. Atque hæc quidem duo serpenti a Deo in documentum maledictionis fuerunt imposita: quod documentum plerique non intelligentes illum ipsum serpentem putaverunt aut pedes habuisse quibus incederet, sed ijs mutilatum fuisse sententia Dei: aut etiam (prout Iudæi fabulantur) erectum ambulavisse. Quæ res cùm nullo ex testimonio scripturæ, aut ratione naturæ cõfirmari possit, valere per nos jubebitur. Vnicum argumentum est quo in eam opinionem illi adducti sunt, nempe quòd hæc pœna judicio Dei fuisse dicitur imposita. Sic enim argumentantur. Non fuit pœna à Deo ante culpam imposita: hæc autem vtraque pœna est serpenti imposita, *super ventrem ire, & pulverem terræ comedere*. Non ergo fuit hęc vtraque pœna ante hoc tempus serpenti imposita. Atque hoc totum argumentum si benè intelligitur, non dubitamus concedere; ac proinde affirmamus serpentem à natura ante commissam hãc

culpam super ventrem ambulavisse, & pulverem terræ comedisse, quemadmodum etiam hoc ipsum in promissionibus Euangelicis narratur ab Esa.65.cap. Sed qui sic argumentātur, non vident se παραλογίζεσθαι à dicto secundùm quid, vt loquūtur vulgò. Nam secundùm creationis legem neq; super ventrem ire, neq; pulverem comedere, serpenti maledictū fuit: Secundùm verò sententiā quam Deus hac culpa cōmissa tulit, illud ipsum ire super ventrē pulveremq; comedere, maledictione gravissima & acerbissima conditum est: Et quod priùs naturæ fuit, id pœnæ posteà factū est judicio Dei: quemadmodum ex cōtrario videmus multa quæ aut naturæ sunt, aut pœnę, per gratiā Dei beneficio cōmutari: vt iris naturæ est, sed per gratiam symbolū est beneficij. Atq; eodē modo videmus sequētes pœnas fœminæ & viro imperatas accipi oportere: nempe ea quæ à natura secūdùm ordinem creationis fœminæ & viro fuerāt indita & naturalia, pòst secūdùm maledictionem à Deo accedentem sic fuisse temperata suis malis, vt ea ipsa quæ naturalia sunt acerbitatem maledictionis habeant, suaq; acerbitate maledictionis quodāmodo illud bonū naturæ deleant, quod ante peccatum homo fuerat expertus. Ire autem super vētrem nihil est aliud, quàm repere vel serpere, vt Latini vocāt. Serpentiū verò (vt ostendit Moses Num.11.) aliæ sunt ἄποδες, aliæ verò πολύποδες & καμπυλόποδες, id est, multis pedibus, sed ijs obliquis & divaricatis vtentes; sive quaternis pedibus ambulent, sive multis, vt eo loco à Mose describuntur. Hîc verò non est dubiū quin de priore reptiliū genere hæc loquutio intelligēda sit: nempe serpentē pedibus caruisse, & serpendo tamquam natavisse in summa tellure, vt Columella loquitur. Alterū genus pœnæ, quod serpenti fore dicitur, *vt comedat de pulvere terræ omnibus diebus vitæ suæ*, non est simpliciter sic accipiendum, tamquam si nihil aliud serpentes comederent, cùm ex contrario serpentum sit ea voracitas, vt ranas, cancros, pisces integros deglubant: sed potiùs
tiùs

tiùs hoc de difficultate victus oportet intelligi, nempe tantam fore serpenti incommoditatem comparandi victus, ut ex ipso pulvere terræ cibum parare sibi necesse habeat: Quemadmodum constat hiberno tempore ad vernum usque serpentes in terra semper delitescere, & alijs quoque tempestatibus plurimùm. Quapropter etiam maxima vis maledictionis in eo constituenda est, quod dicit Deus, *Omnibus diebus vitæ tuæ* tamquam si diceret, nunquam non fore, quin serpens hac necessitate quam pronunciavit Deus, teneatur. Sequitur jam alter locus versu 15, de maledictione, qua Deus Diabolo maledixit, quamvis jam antè maledicto. Maledictum jam antè fuisse Diabolum nemo dubitaturus est, qui verba Christi Iohan. 8. Matth. 25. & 2. Petri 2. Epistolam Iudæ, & Apocalypsin legerit. Nam qui potuit adhuc vacare maledictione is, qui non persliterat in veritate, sed ortui suo renunciaverat? Hic ergo in se maledictus, judicio Dei nova maledictionis genera sibi cõparavit, quum mendax & homicida inde à principio tam dirum homicidiũ perpetravit. Hæc autem maledictio quæ hoc verbo exponitur, in Diabolũ pronunciatur eventura ab ea ipsa specie quã Diabolus sua actione in malũ t[illegible]ũ cõjecerit. Duplex autẽ est maledictio: prior inimicitiarum, posterior eventorũ, singulis membris hujus versus cõprehensa. Inimicitias indicãt hæc verba, *Inimicitiã dispono inter te & mulierem & inter semen tuũ & semen illius.* Eventa docentur illis, *Hoc conteret tibi caput*, &c. Inimicitiæ quas Deus inter diabolum & hominem disposuit, non solùm in animo, cogitatione, & voluntate positæ sunt, verùm etiam infesto animo exercentur. Has autem inimicitias dicitur Deus disponere inter diabolum & fœminam, inter semen illius & semen hujus. Ac proinde duplex est de his inimicitijs prædicatio: commune utriusque prædicationis est, quòd Deus has inimicitias dicitur disponere, hoc est, quòd etsi Deus justissimam causam habuit totum mundum, imprimis autem

fœminam ipſam, abjiciendi à ſe, & dedendi poteſtati Satanæ, quemadmodum Satan ſe principem mundi (vt ſcriptura loquitur) effecerat, & fœmina quoque à Deo deficiens ſeipſam Satanæ vendiderat mancipaveratque, tamen noluit Deus curam de muliere, adeóq; de humano genere deponere omnino; ſed potiùs in homine aliquas reliquias, quãvis perexiguas, naturalis ſtudij de ſalute ſua conſervare, & tantumdem lucis in mente ſcintillantis adhuc fovere, quantum opus fuit, vt homo naturali ſalutis ſtudio principem perditionis & mortis ſuæ perhorreſceret. Nam alioquin, abſque Deo fuiſſet, totus homo, & totum hominis perditioni ſuæ ſtuduiſſet: ſed Deus per gratiam ſingularem adhuc eam naturæ lucem continuat in homine, quæ ſalutem quidem noviſſe aut acquirere non poteſt, ſed tantùm hominem efficere ἀναπολόγητον ſeu inexcuſabilem: Ac proinde ſequitur ex eo hominem per ſe peccato mancipatum, & venditum ſub peccato eſſe: ſed Deum in homine, quamvis peccato & morti mancipato, ſumma cura & ſingulari gratia authorem fuiſſe lucis illius, & quidem tantulæ in homine conſervandæ, quanta fuit neceſſaria ad fovendum aliquod ſalutis ſtudium, quamvis pertenue: & ad conciliandum Diaboli odium, qui mortis principatum tenet. Heb. 7.

Hujus autem inimicitiæ quam Deus diſpoſuiſſe dicitur, gradus ponuntur duo: vnus eſt imperfectæ & tenuis conditionis: alter perfectæ & abſolutiſſimæ in ſe, & in omnibus ſervandis efficaciſſimæ. Imperfectæ & tenuioris conditionis eſt illa inimicitia naturalis, quam Deus diſpoſuit inter Diabolum & fœminam. Imperfectæ autem dicimus reſpectu noſtri: Nam alioquin reſpectu Satanæ non dubium eſt quin graviſſima ſit illius in ſalutem noſtram inimicitia, & ſtudium nobis perdendis ὁλόκληρον. Imperfecta autem eſt inimicitia, quam nos cum Satana gerimus atque exercemus, in ſeipſa, tum facultate, tum actionibus, & affectionibus. Nam Diabolum, vt eſt huma-

næ sortis infirmitas & depravatio naturæ nostræ, neque perfectè & absolutè odimus, neque facultatem ad eam inimicitiam colendam planè conferimus, neque omnes animi nervos intendimus & omnia movemus quę ad hāc inimicitiam sanctè agitandam, vtiliter, & salutariter præstare debuimus. Atque hæc quidem vniversè de humano genere. sed tamen aliquid ampliùs voluit Deus innuere, quum dixit se inimiciriam disponere inter diabolum & fœminam. Nam quemadmodum tenerius & infirmius est vas, Satanas πανουργίᾳ sua eam primùm aggressus est, & plurimùm etiam aggreditur: Sic certa quadam ratione naturæ efficit Deus, vt in muliere tenerius quoddam studium hujus inimicitiæ hæreat. Hoc autem studium ex inscientia & infirmitate fœminæ, præstinguente oculos Satana, evasit in miseram superstitionem, quo nomine Lucas in Actis Apost. fœminas δεισιδαίμονας, & superstitiosas vocat. Quapropter non est simpliciter hic locus sic accipiendus, tamquam si hæc inimicitia inter Satanam mulierémque à Deo esset disposita: sed potiùs cōparatè hæc verba intelligenda sunt, nempe inimicitiam quidem inter hominem & Satanam esse dispositam, sed vehemētius quid intercedere inimicitiarum inter Satanam & sexum muliebrem: qui sexus, vt magis infirmus, sibi metuit magis, & vt abundat suspicionibus, faciliùs odia & inimicitias concipit, & alit impotentiús. Etsi hæc suscepta adversus Satanam inimicitia adeò est imperfecta & inutilis ad salutem, vt quo magis fugere, aut adversus Satanam videtur pugnare, eo magis sese vinculis illius induat, & in miserrimam illius tyrannidem prolabatur. Alter prædicationis locus est, quòd Deus disposuit inimicitiam inter semen veteris illius serpentis & semen mulieris: quæ prædicatio quia figurata est, id primùm nobis videndum est, vt ad proprios (vt vocant) terminos circumscriptione quadam æquivocationis revocetur. Nomen æquivocum est semen: Nam semen aut propriè, aut figuratè dicitur.

Propriè ſemen appellatur, vt in 1. caput Geneſ. antè oſtẽdimus, quicquid eſt ex quo ſimile alterum alteri gignitur: & indè metonymicè appellatum ſemẽ, quicquid eſt quod ſimile alteri ex altero eſt genitum ſive procreatum. Hac ſignificatione ſemen aut ſingulariter dicitur, aut ſyllepticè. Singulariter, vt infrà cap. 4. verſu 25. cap. 15. & 18. & 38. Syllepticè, vt Gen. 1. & alibi paſſim. Figuratè verò ſemen quum accipitur, id eſt, κατὰ τρόπον, prædicatur non de genitura ſubſtantiæ aut materiæ alicujus, ſed de transformatione accidentium, tamquam per propagationem quamdam: quæ transformatio in duabus partibus poſita eſt, nempe tum in communicatione transformantis & quaſi procreantis alterum ad ſui imitationem, tum in ejus qui transformatur participatione, qua cum transformante communicat imitatione illius.

Hãc ſeminis interpretationem eſſe neceſſariam oſtendit ipſa naturæ ratio: Nam cùm ſemen ſit quædam materia naturalis motus, omnino in rebus corporeis ſemen appellatur, ad cujus motum fit aut eſt generatio ſubſtantiæ & corruptio, ſecundùm quantitatem. In ijs autem rebus quæ ſunt incorporeæ, quotieſcunque ſemen de illis prædicatur, illud accipi neceſſe eſt κατὰ ἀλλοίωσιν ſive trãſformationem qualitatum, quæ rebus illis incorporeis inſunt: quandoquidem rerum corporis expertium & ἀύλων generatio, corruptio, incrementũ, & deminutio ſecũdum ſubſtantiã vel quantitatem ipſarũ dari nullo pacto poſſit, quin detur naturæ ipſius ſpiritualis & incorporeæ everſio. Nam hæc Spiritualis μέριστος, ſive partibilis futura eſſet; partem in parte, partemque extra partem, omneſque partitionis & diffuſionis modos obtineret. Explicata hac homonymia, etiam diviſio quædam præmittenda eſt ad commodiorem argumẽti hujus intelligentiam: nempe quandoquidem ſemen nihil eſt aliud quàm ἔκκρισις γόνιμος, id eſt, excrementum ad genituram pertinens: Omne autem excrementum aut ſit μονόκαρπον; ex vnius indi-

individui facultate ſimile individuum gignens, vt fit in plantis, ſi palmam exceperis; aut fit compoſitum *ἐκ συνουσίας*, vt fit in animantibus: Neutrius horum generum vllum modum rebus incorporeis & ſpiritalibus aptari poſſe. Quòd ſi neuter modus ad res ſpiritales & incorporeas pertinet; continuò id ſequi, ſemen de rebus incorporeis & ſpiritalibus non propriè, ſed *κατὰ τρόπον* & figuratè prædicari. Nunc ad ipſam Dei inſtitutionem veniamus. *Diſpono*, inquit, *inimicitiam inter ſemen tuum & ſemen mulieris.* Hæc autem verba alij animanti ſerpenti volunt pronunciata, alij Diabolo ſerpente abutenti, alij vtrique. Qui ſerpenti volunt, nituntur propria ſeminis ſignificatione: Nam, inquiunt, non eſt diabolo, ſed ſerpenti ſemen. verùm falluntur illi, non videntes varium prædicationis modum, & iniquè à figurato ad proprium concludentes. Figuratum autem eſſe, demonſtrant palàm ea ipſa promiſſionis verba quæ ſequuntur proximè altero membro verſus, & figuratè accipi infiniti Scripturæ loci commonſtrant luculentiſſimè. Qui ad vtrumque, ſerpentem & Diabolum, ij propiùs ad veritatem accedunt: etſi omnino ex veritate judico eſſe, quòd Deus his verbis propriè Diabolum compellaverit. Semen igitur Diaboli hoc loco appellatur totum illud genus Diabolorum & hominum, qui principi ſuo Satanæ ſe conformaverunt, & in veritate à Deo accepta non perſtiterunt, ſed operam dant impietati & injuſtitiæ. Atque hîc ſemen illius appellatur non reſpectu ſubſtantiæ ſuæ, ſed reſpectu *ἀλλοιώσεως* ſive alterationis in malum; qua alteratione & mutatione transformati ſunt in imaginem illius qui mendax & homicida à principio eſt, & qui malum ſuum communicavit quadam propagatione, quam illi velut participationem & imitationem imbiberunt. Atq; in hanc ſententiam loquutus eſt Chriſtus Ioan. 8. *Vos ex patre Diabolo eſtis*, & ſimilia multa. De hoc igitur ſemine

Diaboli Deus hanc sententiam tulit, *Dispono inimicitiam inter semen tuum & semen mulieris.* Altera verò pars, putà, *semen mulieris*, varijs quoque modis ab interpretibus accipitur. Nam alij de Christo semine benedictionis promisso dictum volunt, alij de Ecclesia quæ est corpus Christi, alij de toto humano genere: Alij denique de Christo & Ecclesia simul. Qui de Ecclesia accipiunt, existimant nō propterea excludi Christum ex promissione hac; sed ita statuunt hanc appellationem propriè de Ecclesia prædicari, promissionemque Ecclesiæ fieri; sed ita vt per consequens Ecclesiæ applicetur hæc promissio in Christo & per Christum, velut ipsius caput. Qui autem ad omnes homines vniversè putant pertinere, ij omnes homines ex muliere natos putant: quemadmodum etiam Matth. 11. à Christo dici meminimus, inter eos qui nati sunt ex muliere majorem Iohanne Baptista quemquam non exstitisse. Qui denique ad Christum & Ecclesiam putant communiter hanc appellationem pertinere, ij planè in hanc sententiam ijsdem argumentis adducuntur quæ modò diximus, suamq; interpretationem promissione sequente, & eventu illius confirmari. Mihi verò, quemadmodum & Orthodoxis patribus, perplacet prima, quæ est de Christo, interpretatio: tantùm à postrema hac interpretatione, quam modò adduximus, eo discrepamus, quòd illi communem esse de Christo & Ecclesia prædicationem propriam volunt, nos verò propriam esse & singularem de Christo statuimus: etsi beneficium illius κατ᾽ οἰκείωσιν καὶ ἐφάρμοσιν, id est, non propriè & per se, sed per communicationem gratiæ ad Ecclesiam, vt corpus Christi, contendimus dimanare. Vt autem de Christo propriè simpliciterque hanc loquutionem accipiamus, quum semen mulieris à Mose nominatur, his causis potissimùm adducimur. 1. quòd etsi in speciem hæc pars denunciationis à præcedente diversa videri potest, re tamen ipsa eadem futura est; quia nomen mulieris in præcedente

mem-

membro, si de individuo accipitur, id est, de Eva Adami vxore & omnium viventium matre, nimis jejuna est frigidaque interpretatio, neque analogiam habens cum cæteris promissionum & denunciationum exemplis: quæ omnes non individuum illud solùm, nempe Adamum & Evam, respiciunt; sed homines omnes in tota specie comprehensos, & in Adamo Evaque subsistentes potentialiter & originariè, tamquam in primigenia radice sua. 2. Quia non satis respondet altera illa interpretatio sequenti proximè eventus denunciationi, *hoc semen*, putâ mulieris, *conteret tibi caput*, &c. Nam etsi hoc semen promiscuè de tota specie exponi potest, certum est tamen neque totam speciem illud potuisse, neque ad totam speciem promissionem illam pertinere: sed qui potest, & qui promissionem potentia sua præstat, is demum vnus est, qui vim suam potenter in Satana edidit, & fratres suos, nō autem vniversam speciem, beat communicatione gratiæ. 3. Cōfirmat hanc interpretationem nostram propria hujus loquutionis forma, cùm Christus dicitur *semen mulieris*. Nam cæteri homines qui in specie, & fratres cæteri qui in corpore Christi, id est, in Ecclesia sunt, ij propriè simpliciterque semen mulieris non possunt appellari: sed potiùs semen viri & mulieris, id est, semen συγκεχυθὲν, non autem ἐκκεχυθὲν, concretum, non autem excretum ex principio vnico. Quapropter etiam homines cæteri, quamvis nati ex foeminis appellentur, geniti tamen non simpliciter ex foeminis, sed ex sanguinibus dicuntur, Ioan. 1. Propriè verò Christus secundùm carnem semen est, id est, filius foeminæ, factus ex foemina, vt inquit Apostolus ad Gal. 4. semen, inquam, nō cōcretum, sed excretum & excerptum à Spiritu S. de substantia virginis Deiparæ, fotumque virtute & operatione illius: quemadmodum dicebat Angelus: *Quod enim genitum est in ea, à Spiritu sancto genitum est.* Quapropter nobis nullo pacto probabilis eorum videtur sententia, qui Evam auritam hujus denūciationis testem

putant ad promiſſionem hanc reſpexiſſe, quam de nato Caino diceret, Acquiſivi virum (vt illi interpretantur) Iehovam, cap. 4. 1. Non enim ignorabat Eva quod ibidem dicitur principio illius verſus, *Adam cognovit Evam uxorem ſuam*, &c. Atque hanc ipſam interpretationem (quam omnium probamus maximè) confirmant ſequentes prophetiæ, quas ſuccedente tempore Deus expreſſit evidentiùs. Ejuſmodi eſt illa Gen 49. 10. Non eſſe diſceſſurum ſceptrũ à Iuda, aut legiſlatorem è medio pedum ipſius, vſque dum adveniat Schilo, id eſt, (vt Græcis verbis meliùs exponamus) ὁ υἱὸς τῶν ὑστεραίων αὐτοῦ, filius ſecundarum ipſius Iudæ; Nam ſecũdarũ appellatione propriè deſignatur fœmina κατὰ συνεκδοχὴν, quandoquidem ſecundæ fœminarũ ſunt; Chriſtus autem ex fœmina genitus eſt quę non erat cognitura virũ, neq; revera cognovit, quãdo Chriſtũ cõcepit peperitq; ſalvatorem noſtrum. Accedit Eſa. 7. locus pervulgatiſſimus, quem propterea Angelus adduxit Matth. 1. ad nutantis Ioſephi confirmationem. 4. confirmat eamdem interpretationem noſtram eventus & complementum harum rerum omnium: propter quẽ Pauuls ad Romanos 16 (vt omnes orthodoxi patres ſanctè annotarũt) his fermè verbis vtitur, eadem applicãs Chriſto ſervatori noſtro, & dicens, *Dominus gloriæ conteret Satanam ſub pedibus veſtris velociter*. Non enim alius eſt Dominus gloriæ quàm Chriſtus, vt ab eodem Apoſtolo 1. Cor. 2. appellatur. Cùm itaque Chriſtus primò, & per ſe, & principaliter, ex rei veritate ſemen ſit ſolius mulieris, immediatè ex muliere natus ſecundùm carnem: & non ſolùm principaliter, ſed etiam propriè & per ſe has inimicitias adverſus Satanam perfectè gerat exerceatque in ſe. ſe; & in nobis omnibus qui membra ipſius ſumus ingeneret, alat, exerceatque, perfecturus omnia ad ſalutem noſtram: omnino ſtatuimus hæc verba primò & per ſe de Chriſto ſervatore noſtro accipi oportere. Neque proptereà tollimus gratioſam illam μετάδοσιν potentiæ, juſtitiæ, vitæ,

vitæ,victoriæ,gloriæ, quam participamus in ipso: sed causam efficientem horum bonorū omnium his verbis fuisse declaratam confirmamus, ad confusionem Satanæ & lapsorum consolationem : qua ex virtute singula ipsius membra, quæ quidem servanda ipsi sunt à Patre tradita, hoc etiam tempore adversus eum qui tenet principatum mortis, gloriantur. Antecedentis illius inimicitiæ & certaminis sancti in Christo, nobisque salutaris eventum demonstrant verba hæc: *Hoc semen conteret*, &c. Duplex itaque eventus ex eo certamine futurus pronunciatur; quorum prior est letalis serpenti illi veteri & adversario salutis nostræ: posterior gravis quidem est, sed tamen curabilis per authorem salutis nostræ. Secundus eventus quomodo sit accipiendus, facilè ex antecedentibus colligitur. Nam vt hæc verba propriè accipiantur, tamquam si in serpentem, id est, reptilem illam animantem pronunciarentur, quo instrumento Diabolus abusus est; id neque hujus versus argumento competit, quod antè confirmavimus: neque ad justam lapsi generis humani consolationem pertineret: neque sententiam Dei in homicidam & mendacem à principio Diabolum complecteretur. Omnino igitur necesse, aut de vtroque hæc verba accipi synecdochicè, aut de Diabolo solùm allegoricè. De vtroque non incommodè quidem potest accipi: sed tamen cùm sua serpenti illi animanti pœna fuerit imposita præcedente versu, & prætereà variari oporteret interpretationis modum, si ad vtrumque referamus: omnino malo (vt antè statuimus) hæc verba ad Diabolū propriè respicere; & tropicè, nō allegoricè prædicari, servata nihilominus analogia τῶν ἀλληγορουμένων, id est, ita vt quæ de serpente naturaliter prædicari possunt, ea figuratè de Diabolo enuncientur. Sunt autem duo membra analogiæ; vnum adumbrans, alterum adumbratum. Adumbrās sive assimilans est serpens: serpenti assimilatur diabolus. Simile serpentis (vt Physici tradunt) in eo positum est,

quòd capitis vulnera serpenti sunt lethalia; Cætera in corpore non ita gravia sunt & periculosa: ac proinde si quis serpentis caput contriverit, est serpenris exitium. Ex naturali hac constitutione nascitur hæc denunciatio ἀλληγορουμένη, nempe semen mulieris cōtriturum esse illi caput, id est, mortem principi mortis allaturum, quemadmodum & rebus à Christo gestis & promissionibus Evangelicis sumus confirmati. Intereà verò prout in præcedens membrum hujus versus docuimus, non diffitemur nos quoque in Christo Iesu ὑπερνικᾶν, suprà quam victores esse, & serpentis caput conterere; sed id in eo totum fit qui dilexit nos. Nam quòd illud nostrum caput adversarij caput conterit, sua ipsius virtute potētiaque facit: quòd autem nos conterimus, id virtute Christi capitis nostri facimus: quæ virtus illius est κατὰ φύσιν; sed nostra est κατὰ τὴν ἰφάρμοσιν atque οἰκείωσιν, sive (vt patres Orthodoxi appellaverunt) appropriationem. Cujus appropriationis vim optimè describit Apostolus Gal. 2. dicens: Vivo non ego, sed vivit in me Christus: Quòd autem vivo in carne, vivo in fide filij Dei, qui dilexit me, & seipsum pro me tradidit. Quò respiciens Christus dicebat Apostolis, *Estote bono animo, ego devici mundum*. Altera pars eventus his verbis ostenditur: *Tu verò conteres ipsi calcaneum*: cujus item propositionis (vt missam faciamus illam interpretationem de serpente animali) duæ interpretationes adferuntur: Prior est, hæc verba prædicari de Ecclesia Dei: Secunda, prædicari de Christo. ex quibus etiam assurgit tertia interpretatio, de vtroque simul prædicationem hanc intelligi oportere.

De Ecclesia simpliciter vt accipiatur, mihi quidem probari non potest, quia mutatur eo pacto subjecti interpretatio. 2. quia ex eo sequeretur non totius Ecesiæ membris omnibus vulnus à Diabolo inflictum esse, sed tātùm parti illius. Quò accedunt etiam prætereà causæ, quas antè contulimus in constituenda hujus versus generali explica-

plicatione. Reſtant igitur duæ interpretationes: vna, vt aut de perſona Chriſti propriè, aut de Chriſto myſtico id eſt, de Chriſto cum ſuo corpore, quod eſt Eccleſia, adunato hæc verba intelligamus. De perſona Chriſti qui hũc locum acceperunt, ſtatuunt in perſona Chriſti duas naturas ita diſtinguendas eſſe; vt vna, ſecundùm quam ſtimulus mortis & aculeus Satanæ transfixit eum, per comparationem quamdam analogicam cum corpore noſtro, tamquam talus, vel calcaneum illius perſonæ habeatur: ac proinde hæc eſt ſecundùm illos interpretatio. Tu quidem perſonam illam, quam ſemen mulieris appellamus, injuſtis viribus petiturus es; ſed quibuſcunque modis appetas, nihil ampliùs aſſequeris omni conatu tuo, quàm vt leviter ipſam lædas; Quemadmodum ſi ſerpens calcem hominis admorderit, & quidem illius hominis cui præſentiſſimum ſit remedium ad morſus illius curationem. Nam illud inter omnes conſtat, perſonam Chriſti in ſe perſonaliter & realiter remedium curando illi vulneri habuiſſe, cùm natura illa humana noſtra, quam Diabolus vulneravit, nõ niſi in divina ſubſiſtat, in qua eſt certiſſima omnium quamvis graviſſimorum vulnerum curatio, vt Exod. 16. legimus Deum ſibi hoc attributum propriè arrogare, dicendo; Nam ego ſum Iehova curator tuus. Qui ad Chriſtum myſticum referunt, id eſt, ad caput & corpus ipſius, ſimpliciter ita accipiunt, vt intelligãt non grave, ſed leve futurum damnum quod Satanas Chriſto allaturus eſt, tùm in perſona ipſius, tum in membris ſingulis ad corpus ipſius, id eſt, Eccleſiam pertinentibus. Nam etſi grave eſt omnino damnum quod Satanas pijs inferre ſolet: comparatè tamen, id eſt, ſi cum eo damno comparetur quod Satan à Chriſto accipit, vix damnum eſſe videbitur: ac ne damnum quidem pijs eſſe poteſt, in quibus Satanæ morſus, qui per ſe exitiales ſunt, per accidens (vt loquuntur) id eſt, per gratiam Chriſti accedentem eis, cooperantur in bonum, fiuntque ſalutares. Qui denique

simpliciter accipi hæc verba volunt, eodem quidem modo accipiunt prædicationem hanc: sed in eo discrimen est, quòd ea quæ de Christo in hoc argumēto oportet prędicari, illi tantùm per consequēs intelligi, nō autē propriè his verbis prædicari putant: quā interpretationem ex antecedētibus videmur satis refellisse. Ac prima quidem interpretatio, nempè vt de Christo vel persona ejus propriè accipiatur & singulariter; de Ecclesia verò & corpore ipsius per applicationem, quam antè diximus: Illa igitur interpretatio maximè mihi probatur omniū. Veiūtamen aliquantū discedere cogimur ab interpretationis modo. Nā nō videtur Deus propriè hoc loco Satanæ quicquam cōcedere; tamquā si hoc daretur illi, vt calcaneū Christi aut Ecclesiæ ipsius admordeat. i. damnū aliquod adferat: sed potiùs hæc mihi sententia videtur esse, Satanā, quāvis hostē Christi & membrorū ejus infestissimū, non apertè, sed quasi per cuniculos; non in os, sed quasi adverso vestigio: non vi belloq; aperto, sed fraude & artificiosissimis machinationibus adorsurū esse: ac proinde his verbis non significari effectū qui ex Satanæ morsu cōsequuturus sit, nēpe quòd Christo & Ecclesiæ damnū adferatur; sed potiùs notari actionis modū, nempè quod vt hominē serpēs fraude, ita & diabolus aggressurus sit personā & regnum Christi. Atq; hæc loquutio cùm in sacra Scriptura, tùm apud authores profanos est frequētissima: vt infrà Gen 49. 17. & alibi. Sensus igitur ex sententia mea est hic, Lethale quidē vulnus per Christū Satanæ inflictū iri, sed eò gloriosiorem fore Christi domini & servatoris nostri victoriam, quòd eo ipso tempore momentóque quasi contriturus est Diaboli caput, quo diabolus jamjam sibi assequutus optata sua videbitur, nempe quum tamquam serpēs astutus se fraude perfecisse putabit vt Christus decurrere vocationem suam non possit, tamquam obtrito dentibus serpentis calcaneo: quæ res demonstratur ab Apostolo 1. Cor. 15.

16 *Ad fœminam verò dixit, Multiplicando multiplicaturus sum dolorem tuum, etiam conceptus tui: In dolore paritura es liberos: & ad virum tuum appetitus tuus futurus est, & ipse dominaturus in te.*

Exposito primo & summo sententiæ divinæ gradu quam Deus in serpentem & Satanam pronunciavit, sequitur secundus sententiæ locus in fœminam, vt principio versus distinguit Moses. Hujus sententiæ partes in vniversum duæ sunt; vna est dolorum quos Deus imposuit fœminæ in naturali vocatione ipsius, priore membro versus: Altera verò est studij atque ordinis, quem ordinem illa cum doloribus est subitura ad perpetuam suæ culpæ significationem. Dolorum qui mulieri à Deo imponuntur, tres gradus diserte statuuntur. Nam 1. dolores partus significantur, quum dicit Deus, *Multiplicabo dolorem tuum* 2. significantur dolores gestationis inde à conceptu ad partum vsque, quum dicitur, *Et conceptus tui:* 3. denique dolores constituuntur in tota materna fœminarum erga liberos procuratione. Nam revera ex quo liberi nati sunt, singularem molestiam omnem, quantacunque est, perferre coguntur matres: ac propterea Deus, ne fractæ molestiarum continuatione segnescerent, molliorem quemdam animum & indulgentiorem indidit matribus, sine quo vix vnquam fieri posset vt matres suo illo erga liberos officio perfungerentur. Ac priùs quidem, nempe ante peccatum, fuerat futurus fœminarum labor in gestandis, edendis, & provehendis, educandisque liberis: sed non molestus labor quantitate aut qualitate. Iam verò ex occasione peccati pronunciat Deus, *multiplicando multiplicabo dolorem*; id est, tuum illum laborem ea molestia doloribusq; condiam, qui dolores gravitate maximi, numero plurimi, ijdemque intolerabiles omnibus modis futuri essent, nisi illum fœminarum amorem, id est, molliculum atque indulgentem Deus in mentibus ipsarum impressisset.

Poſtremum autem illud loquutionis genus ita interpretamur, quia eſt ſynecdoche in ſacra Scriptura receptiſſima: *In dolore paries liberos*, pro eo quod eſt, In dolore paritura, & in dolore porrò educatura es. Ac in eum ſenſum accipi oportere confirmant illa Pauli verba 1. Timot. 2. mulier tamen ſervabitur διὰ τῆς τεκνογονίας, id eſt, non per generationem ſolùm, ſed per reliquam procurationem, quam genitrices natis tenentur exhibere naturæ lege. Sequitur altera pars de conditione fœminæ erga virum; prout antecedens de fœminæ conditione erga liberos poſita eſt. Fœminæ igitur officium erga virum duobus modis circumſcribitur, ſtudio & ordine officij: quæ duo quidem fuerunt ante peccatum, ſed poſteà acerbitate plurima contemperata ſunt, ex quo peccatum venit in mũdum. Studium his verbis deſcribitur, *Ad virum tuum futurus eſt appetitus tuus*, id eſt, perpetuò ad illum reſpectura es, & in eo tamquam ſervatore tuo & tegmine oculorum tuorum conquietura: vt loquitur Paulus Eph. 5. & Abimelec Gen. 20. ac propterea commodiſſimè hac eadem loquutione Eccleſia compellat Chriſtum in Cant. Cant. vnde etiam non dubium eſt, quin Apoſtolus ſuam illam argumentationem de officio conjugum ad Eph. 5. depromſerit. Ordinem verò officij deſignant hæc verba: *Ille dominabitur in te*, id eſt, tibi caput & dominus futurus eſt; cujus dominium à natura quidem commodum fuit ante peccatum, poſteà verò ſuis moleſtijs effectum laborioſum, & incommodis auctũ per voluntatem Dei in fenſam peccato. Sic enim hæc omnia per comparationem oportet accipi, vt ex peccato dolorem omnibus functionis partibus, quæ ad fœminam pertinent, intelligamus acceſſiſſe. Quæſtio ſupereſt vna ad proximè præcedentem locum pertinens, de ea ſententia quam Deus in fœminam tuliſſe dicitur: nempe cur cauſa illius ſententiæ in ea dicenda omittatur, quod alioqui (vt antè monuimus) in omni ſententiæ dictione obſervari ſolet. Reſponſio eſt,

ſio eſt,proximè præcedentem locum non cõtinere totam ſententiam, aut omnes eos labores exponere quos Deus mulieri propter peccatum ipſius impoſuit: ſed tantùm eos qui ſexui illi particulares ſunt: Alios verò qui toti generi communes ſunt in vtrumque ſexum, Deus in tertio demum ſententiæ loco propoſuit, quum ad Adamum orationem ſuam convertiſſet; tùm ſingulari ipſius nomine,tamquam reum (vt loquũtur) perſonaliter,tùm etiam communi, vt qui fuerit caput fœminæ:ex quo neceſſariò illud conſequitur,eas pœnas quæ viro impoſitæ ſunt,fœminæ quoque communes eſſe; ſed non contrà, eas quæ fœminæ ſingulares ſunt, cum viro communicari oportere. Cùm itaque cauſa communis ſit hujus dicendæ ſententiæ,& ea quoque nõ obſcurè principio verſus 17.communiter exponatur: optimè Moſes αἰτιολογίαν ſeu cauſam antecedentis loci diſſimulavit;tum quia ad communem locum ſententiæ in genus humanum ferendæ pertinebat: tum quia & hæc αἰτιολογίαν verſu 17. perſcriptam reipſa complectitur,& incluſam in ſe habet.

17 *Adamo verò dixit, quia auſcultaviſti voci vxoris tuæ; & comediſti de fructu arboris illius, cùm præceperim tibi dicendo,Non comedes ex eo: Maledicta eſt terra propter te, in dolore comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.*

18 *Et ſpinam & tribulum producet tibi; comedesq́ herbam agri.*

19 *In ſudore vultus tui comedes panem, vſque dum revertaris in terram, quandoquidem ex ea deſumtus es: Nam pulvis es,& in pulverem reverſurus.*

Nunc de tertio loco videamus, vbi in Adamum ſententia fertur,vt primis illis vocibus oſtendit Moſes: *Adamo verò dixit.* etſi hujus ſententiæ autoritas nõ ſolum fuit efficax in perſonam Adami; ſed etiam communiter affecit vxorem ipſius, tamquam ex communi peccato; & ex conditione Adami vxoríſque, in poſteritatem ſimiliter

ipsorum derivata est. Adamo igitur dixit Deus propriè & directè (vt loquuntur) ista: sed conjunctè quoque vxori ejus pronunciata sunt, & per consequens posteris ex vtroque nascituris. Hujus autem sententiæ (vt in vers. 14. ostendimus) partes duæ sunt: prior exponit causam, posterior suppliciorum modum. Causam in principio hujus sententiæ duplicem proponit Deus: Vnam, peculiarem Adami; alteram communem ipsi cum vxore sua. Causa peculiaris comprehenditur his verbis: *Quia auscultavisti voci vxoris tuæ*, atque hæc causa non simpliciter, sed comparatè intelligenda est. Non enim simpliciter vir eo nomine reprehendendus est, quòd in ijs quæ sancta, justa, & bona sunt auscultet vocem vxoris suæ, quemadmodum alibi videmus a Deo Abrahamo imperari: Nam si vxor adjutrix data est, etiam ad consilia, non contemnendum est illius adjumentum, aut vox interdicenda: sed comparatè hæc verba accipienda sunt, in hanc sententiam: Quia audivisti voci vxoris potius quàm voci meæ, vel (vt dicatur gravius) quia voci meæ non auscultavisti, sed voci vxoris tuæ. Fit enim comparatio in hac ἀπολογίᾳ, mandati divini cum persuasione fœminæ: ac proinde cùm hac instituta comparatione ostendit Deus quantum præstet mandatum suum voci fœminæ, tum ex personarum, atque etiam ex rei ipsius conditione concludit Deus gravissimè, in eo Adamum peccavisse, quod fœminam sibi, vocem fœminæ mandato suo, denique damnum & mortem suam saluti anteposuerit: quod eo indignius factum, quia fœmina viro fuerat data vt jubesset ei; vir autem vt præesset fœminæ, constitutus. Alteram causam hæc verba continent: *Quia comedisti de fructu arboris illius.* Atque hæc causa (vt diximus) communis est viri & fœminæ; quapropter etiam communis causæ (vt antè diximus) communia sunt consequentia, ac proinde viro ac fœminæ communiter attribuenda. Hanc verò causam in

supe-

superioribus explicavimus. Vtriusq; autem causæ, quam modò ostendimus, gravitas amplificatur verbis sequentibus: quum dicit Deus; *Cùm præcepissem tibi dicendo. Ne comedas de fructu istius arboris*, tamquam si dixisset Dominus, Eam debuisse in homine esse reverentiam maiestatis, autoritatis, juris, & præcepti divini, cùm apud Adamum, vt voci vxoris suæ non auscultaret contrà suadenti quàm Deus præceperat: tum apud vtrumque, vt à fructu illius arboris interdicto religiosè abstineret. Atque hoc pacto conscientiam viri & mulieris appellat Deus, ex hoc naturæ principio: Quicunque contrà faciunt quàm ipsis præcepit Deus, rei sunt; sive ipsi autores sint ita faciendi, sive occasionem, principium, & adjumentum aliunde acceperint: Vos autem qui ita fecistis, gravissimè rei estis: ac proinde gravissima judicia subituri, quæ postea sequuntur.

Altera pars hujus sententiæ in modo suppliciorum, quæ imperavit Deus, consumitur. Sunt autem tria suppliciorum genera, quæ persequitur Deus his tribus versibus ordine convenientissimo.

Primum est, in maledictione rebus omnibus creatis, quæ quidem inferiores sunt, importatæ per peccatum hominis. Secundum est, in hominis ipsius toto hujus vitæ curriculo difficultatibus. Tertium denique est in exitu, quem Deus pronunciat versu 19.

Primū illud caput de maledictione rebus aliis importata enunciatur his verbis: *Maledicta est terra propter te.* Terram autem Deus quū nominat, propriè quidem simpliciterq; respicit ad cōmune hoc domicilium, sedemque hominis, & aliarum animantium: quo in domicilio Deus ea omnia benedictione sua collocaverat, quæ homini ad necessitatem, vtilitatem cōmoditatem, voluptatemque erant inservitura, & quibus in rebus terra quoque tertio creationis die benedictionem divinam experta est. Verum tamen nobis non est dubium, quin Synecdochicè

quoque aliæ res omnes, mediatè, aut immediatè hominis vsui ministrantes intelligendæ sint. Cùm itaque hoc loco terra maledicta dicitur, duo ex Mose discenda sunt: vnum, qua maledictione maledicta sit; alterum, quamobrem. Triplex autem est maledictionis gradus. 1. est, quòd terra in seipsa maledicta est, id est, eâ potentiâ viribúsque quas Dei benedictio priùs contulerat destituta, adeóque vanitati cuidam subjecta, cujus nomine res omnes creatæ ingemiscunt quodammodo, vt Apostolus loquitur ad Romanos 8. Secundus gradus maledictionis est ab effectis, quòd provt per maledictionem Dei terram deficit potentia illa in creatione indita, ita vicissim fructibus deficitur, qui ad vsum hominis aliorúmque animantium pertinent. Deficitur autem aut secundùm substantiam & quantitatem, quia non ea, nec ita producuntur, aut eo numero: aut secundùm qualitatem, ἐργάτι καὶ πάθη, quia non modò vires illæ priores formis in terra creatis subtrahuntur, verùm etiam quæ vitales fuerunt, nonnullæ factæ sunt noxiæ & exitiales. Tertius denique gradus maledictionis in adjunctis & administrantibus rebus est. Nam quum hominis domicilio ita maledixit Deus; quemadmodum terra contagione hominis, sic alia homini aut domicilio ejus ministrantia maledictionibus fuerunt infecta; Aqua, aër, ignis, cœlum denique ipsum, quod homini factum est æneum sive ferreum, vt Levit. 26. pronunciavit Deus: vt e diverso, quū benedictiones Deus pronunciat, id se effecturum testatur, vt cœlum respondeat nubibus, nubes terræ, &c. Ose. 2. Verumtamē quum maledicta terra hoc loco dicitur, id rursùm oportet intelligi, comparatè hoc dictum accipi. Nam si ad benedictionem antecedentem respexeris, revera fuit maledicta, sublatis benedictionibus amplissimis, & malis impositis: verumtamen non simpliciter, & planè maledicta est, quia adhuc reliquias benedictionum in ea servavit Deus, neque seipsum voluit sine testimonio esse, quin perpetua bene-

benedictionum quarūdam continuatione aliquam suam benevolentiam hominibus testatam faceret, Act.14. & 17. quod vel vnica sequentis capitis comparatione confirmatur, quum Deus ipsam maledictionem terræ graviorem Caino denunciat. Nam etsi communis & ordinaria est in terra hæc maledictio, ex quo sentētiam pronunciavit Deus; omninò tamen pro occasione & re nata Deus maledictionem auget & minuit, prout benefaciendi jus & authoritatem sibi servavit in pios, & malè multandi impios, qui nihil nisi malè de ipso meriti sunt, nec tamen ad ipsum beneficentia revocantur. Causa verò maledictionis istius à Mose exponitur, quum dicit, *propter te*; te autem, puta hominem, virum & fœminā. Hîc verò quæritur, justúmne illud fuerit, vt propter eos terræ maledicatur. Responsio facilis est: nempe cùm Deus maledictione sua sic terram perfuderit, vt reliqua sit adhuc aliqua benedictio: satis eo testari Deum se non ita maledixisse terræ, vt homini maledixit; quandoquidem homini propter ipsum; terræ propter hominem maledixerit: sed tamen hujus maledictionis modum ex causa petendum esse. Causa maledictionis est homo, cui Deus antè benedixerat, & benedictiones maximas in terra & per terrā produxerat. Cùm itaque terra homini priùs lætum, fructuosum, & omnibus adjumentis locupletissimum domicilium esset, quæ omnia ad hominem (vt diximus) erant perventura; non mirum est, si Deus terræ quoque maledixit; vt per quam homini benedixerat, id est, benedictiones suas obtulerat potentissimè, per eamdem malediceret, id est, maledictiones suas sentiendas & experiundas potentissimè homini vel invito & iniquè ferenti obtruderet. Nihil itaque potuit à Deo fieri justiùs in hac causa, quàm pro vt terræ benedixerat per hominem, & hominis causa rebus integris; sic collapsis rebus terræ propter hominem & hominis causa malediceret. Atque hæc quidem prima est ratio, à fine cur Deus terræ maledixerit. Altera quoque

ratio eſt, quòd Deus gravitatem peccati in oculis hominum, rerum omnium maledictione & vanitate obſignari voluit; vt miſer homo conſcius peccati ſui omnibus documentis magis ac magis fieret inexcuſabilis, quũ terram & res creatas contagione peccati ſui contaminatas animadverteret. Propter hominem igitur maledicta eſt terra, tùm quia cōtagione peccati domiciliũ ipſius terra fuit inquinatum: tùm quia pœnas peccati à Deo ſumi oportuit per eas ipſas res, quę homini libero à peccato fuerāt benedictiones ipſius prolixiſſimè profuſuræ. Hactenus primũ ſentētiæ caput: ſequitur jam alterũ de miſerijs hominē in toto vitæ præſentis decurſu comitaturis: quæ miſeriæ primùm generatim ponũtur, vltimo membro hujus verſus: deinde ſpeciatim enarrantur, verſu 18. & principio decimi noni. Generalis miſeriarum humanarum propoſitio continetur his verbis, *In dolore comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ*: tamquam ſi dixiſſet Dominus, Etſi antè à me pronunciatum eſt, fore vt quo die comederis de fructu arboris iſtius omnino moriaris: tamen vt adhuc veſtigia exſtēt meæ erga te miſericordiæ; duo tibi porro indulgebo ad tempus, quæ te ad reſipiſcentiam invitent, nimirum vitam præſentem, & commoda ad vitam tolerandam pertinentia. Verumtamen hæc ipſa commoda ſuis, & quidem graviſſimis, incōmodis conjuncta futura ſunt; nempe doloribus, qui numquã à te, etiam in rebus maximè ſecundis, diſceſſuri ſunt, ac ne diem quidē vllum vitæ tuæ.
2 Quod autem generatim de dolore hominem infeſtaturo omnibus diebus vitæ ejus, in fine verſus 17. poſitum eſt, id minutatim explicatur duobus ſequentibus. Nam primùm dolorem à malis foris infeſtantibus denunciat Deus, verſu 18. Deinde verò dolorem moleſtiámque hominem intus afflicturam, verſu 19. Doloris, qui foris homini advenit, genera ponuntur duo: vnum, quòd cùm antè ex creatione terra ad vſum commoditatemque hominis omnes fructus bonos & commodos fuiſſet productura,

ctura, deinceps malos atque incommodos homini allatura sit: Quam denunciationem generatim à nobis expositam Moses synecdochicè nominata vna atque altera specie incômodorum protulit, dicens; *Spinam & tribulum progerminatura est tibi*; aut (si quis Arabum interpretationem malit sequi) *Spinam & vlmum syluestrem*. Etsi, vtcunque accipiatur, omnino eadem sententia futura est, terram vltrò omnia ingrata, incommoda, & mala ad vsum hominis esse parituram. Alterum genus molestiæ foris adventuræ continetur his verbis; *Comedes herbam agri*, sive agrestem: tamquam si diceret Dominus, duo simul incommoda, eáque gravissima, homini superventura: vnum, quòd deinceps non sit vsurus fructibus illius horti quem Deus consecrat amœnissimum ad hominis stationem: alterum, quòd ne in reliqua quidem terra, vbi hospes futurus est, fructus commodos & gratos ad victum habiturus est; sed omnes fructus voluntarios atque insativos agrestes, & acerbos fore: cùm priùs omnes homini grati & boni fuissent futuri. Ex his autem incommodis foris advenientibus nascitur alterum incommodorum molestiarúmque genus: nempe quòd homo laborioso cum dolore terram subacturus, & victum ex ea quæsiturus est, versu 19. Quam rem Moses his verbis innuit, *In sudore vultus tui comedes panem*. Nam cùm terra aut nihil ad victum cômodū prolatura fuerit, aut si quid prolatura esset, acerbū & insuave fuerit editura: necessario hominē sibi oportuit prospicere, vt gignētia terræ cultura hominis mitescerēt: Quæ cultura nō ita fuit levis, vt anteà; sed condita laboribus, vigiliis, & doloribus gravissimi: quos labores importunos & improbos, conjunctósque doloribus synecdochicè designavit Deus, quum diceret, *in sudore vultus tui*. Cùm autem sudoris duæ naturales sint excitantes causæ, labor foris, & intus infirmitas, non dubium est quin præter laborem sudoriferū etiam denotata hoc loco fuerit humani corporis infirmitas; Cujus sanguis.

alimentarius ex contento & vehemente labore tenuatus, in sudorem solveretur, & homini quodammodo testatam faceret infirmitatem naturæ ipsius. Nam quum substantia alimentaque ejus in tenues partes solvuntur, futuram hujus corporis dissolutionem ostendunt evidentissimè. Hujus autem denunciationis gravissimæ amplificatio à termino illius (vt ita dicamus) sive spacio perpetuo & continuato ostenditur, illis verbis, *Vsque dum revertaris in terram*, quæ verba exegetatica sunt illius amplificationis, quam in generali pœnarum propositione exposuimus versu 17. *In dolore comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ*. Sensus igitur est, indesinentes fore labores hominis in hac vita, nec antè finem laborum hominem assequuturum esse, quàm ex hac vita migraverit: quæ migratio his verbis denotatur: *Vsque dum in terram revertaris*. Ac his quidem verbis significatur mors, id est, dissolutio animæ & corporis: sed tamen synecdochicè à Mose exprimitur. Non enim totum hominis in terram revertitur; sed tantùm massa illa terrea, quam Deus præformaverat vt vitalem spiritum inspiraret ei: ac ne tota quidem illa massa, quæ Elementaris est, & prout ex Elementis, ita in ea tamquam principia sua dissilit; sed homo in terram reversurus dicitur secundùm id quod ex terra est: & tamen cùm terra dicatur esse receptura quę ab ipsa profecta sunt, continuò sequitur reliquas partes ad sua principia regressuras esse; ac proinde spiritum reversurum esse ad Deum qui dedit illum inspiratione; quæ autem Elemētaria sunt, ea ad sua simplicia & primigenia corpora esse reversura. Atque hæc in hanc sententiam accipi oportere ostendit determinatio αἰτιολογικὴ sequentis membri, quū dicit Deus; *quia ex ea desumtus es*. Si enim (quod vulgò dicitur) cessante causa cessat effectus, quæ res in causa materiali & formali plurimùm obtinet: Causa autem materialis est terra in corpore hominis constituendo ex parte solùm; sequitur effectum illum qui de homine prædicatur, ipsum

putà

puta in terram reverſurum, de ea ſolùm parte intelligendum eſſe cujus materialis cauſa terra exſtiterit. Etſi non dubium eſt, quin hoc ſermone Deus homini ortum ipſius objecerit; vt & gravitatem peccati (vt qui Deo non paruerit, ſed adæquare ſeſe ſtuduerit majeſtati ejus) & vanitatem ipſi in os objiceret. Sic membrum iſtud eſt μεταβατικὸν ad illud tertium ſuppliciorum genus, quod in poſtremo membro hujus ſententiæ exponitur.

Tertius ſententiæ locus, nempe mortalitatis & mortis ipſius denunciatio, continetur his verbis; *quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Hujus autem denunciationis interpretandæ modi adferuntur duo: quorum prior eſt, quòd hæc denunciatio putatur eſſe antecedẽtis vanitatis ætiologica: alter, quòd ab alijs putatur eſſe ex ſua ætiologia & ſupplicio conſtituta. Qui ſuperioris denũciationis cauſam hîc tradi pùtaverunt, exponunt hoc modo: In doloribus perpetuis verſaturus es, & in ſudore vultus tui comeſturus panem, denique experturus innumera in tuo ipſius corpore incommoda, quia mortalis es, & jam ex facto addictus morti; cujus dolores illi ſudoreſque non modo prænuncij ſunt, ſed etiam quaſi perpetui anteambulones, & tam neceſſariò antecedentes mortem cui addictus es, quàm neceſſariò (vt ita dicamus) aurora præcedit diem. Nam ipſa mortalitas & mors illos gradus antecedentes parit, quibus ad mortem quadam naturæ inclinatione, decurritur. ſed etſi hoc verum eſt, mihi tamen non videtur eſſe hujus loci argumentum. Qui verò hunc tertium locum non præcedentis ſententiæ ætiologicum eſſe tradunt, ſed vnam ſuppliciorum & ſeparatam ex ſententia Dei ſpeciem, ij locum hunc in duo membra diſtribuunt. Nam priore membro *quia pulvis es*, cauſam; poſteriore, *In pulverem reverteris*, judicium & effectum exponi putant: non quidem cauſam, cur homo moriatur (Nam in cauſa fuit peccatum ipſius) ſed tantùm cauſam, cur homo diſſolutus morte in pulverem revertatur. Sic cau-

ſam materialem cum eventu mortalitatis noſtræ conve-nire ex his verbis ſtatuunt: ſed ne hæc quidem ſententia mihi ſatisfacit. Nam potiùs exiſtimaverim tertium hunc ſententiæ locum occaſione præcedentis clauſulæ, qua Deus vſus eſt, μεταβατικῶς nunc demum, per modum (vt loquuntur) ſententiæ declarari. Nam præcedentibus ver-bis non fuit propriè ſententia mortis lata, ſed tantùm circumſcriptum doloris illius ærumnarumque ſpatium, quibus homines ex Dei ſententia infecti ſunt. Ex ea igitur occaſione nunc demum vltimam ſententiæ clauſulam appoſuit Deus; qua in clauſula & naturam hominis cor-ruptam exprobrat, & eventum pronunciat. Natura ho-minis exprobratur his verbis: *Nam pulvis es*: Eventus pro-nunciatur illis; *In pulverem reverſurus es*: Exprobratur autē natura hominis corrupta, non propriè, ſed figuratè & ſy-necdochicè. Nam quum inquit Deus, *pulvis es*, non eſt il-lud ſimpliciter intelligendum, quòd homo eò ſit probro-ſus, quòd ex pulverea materia coagmentatus eſt, aut quòd pulverea conditione ſit corpus ipſius: ſed figuratè hæc verba accipiēda ſunt, tamquam ſi Deus homini dice-ret: Antè quidem ex creatione ita fuiſti comparatus, vt in corpore pulvereo imaginem cæleſtem geſtares; qua imagine exornatū hoc corpus tuū pulvereum circumful-gebat honore & gloria corā rebus creatis omnibus, adeò vt neq; tu, neque illæ quicquā dedecoris in hac natura tua animadverteretis, neq; vos quamvis nudos puderet con-ditionis veſtræ, quia vos illa Dei imago circumveſtiebat: nunc verò manſit quidem materia in te, ſed forma periit. Quamobrē nō modò pulvereus in cōcreto, ſed in abſtra-cto pulvis optimo jure diceris, qui deleta imagine & amiſ-ſa digniſſima forma quā Deus impreſſerat, nunc nihil niſi imaginē terreſtrē habes, aut ſi quid reſtat illius imaginis, id ipſum quod reſtat per benedictionē Dei, tuo facto pul-veri, id eſt, carni & ſanguini ſubjeceris. Hinc ergo ſequitur ſententiæ dictio, expoſita miſera humanæ naturæ condi-

tione,

one, quam suo facto primi parentes sibi & nobis compararunt. Sententiæ dictio est: *In pulverem reverteris*: quã sententię partem in superiore membro versus exposuimus: tantùm enim hæc membra eo inter se differunt, quòd ibi dolorũ hujus vitæ terminus circũscribitur: hîc fertur sententia. Hîc verò quæstio vna incidit: Cùm homo indè à principio ex pulvere terræ secũdùm corpus fuerit cõditus & rerũ creatarũ ex Elemẽtis ea sit cõditio naturæ lege, vt in sua principia revertantur morte: quomodo dici illud possit, priùs natura integra hominẽ futurũ fuisse immortalem; corrupta verò mortalẽ effectũ esse: cùm principiò cõstitutus fuerit ex elemẽtari corpore. Respõsio est, vtrũque verũ esse: hominẽ integra natura fuisse futurũ immortalem, & corrupta mortalem effectũ esse. Nam quod dicitur de rebus elemẽtaribus quæ in sua principia dissolvuntur, illud verum est & physicum axioma, de ijs rebus quæ tantùm sunt Elementares: sed in prima illa cõditione hominis duo singularia observanda sunt, quæ hominem à Physica illa lege vindicabant ex instituto Dei creatoris: prius est, quòd natura hominis nõ est simpliciter elementaris, sed (vt Moses 2. cap. docuit) spiritus vitæ in corpus elementare fuit à Deo inspiratus: posterius est, quòd hic spiritus vitæ nõ fuit tanquã hospes collocatus in Elemẽtari corpore: sed vnione personali (cujus exemplum in cæteris rebus creatis nõ exstat) cũ suo corpore adunatus. Hic autem spiritus vitæ ita fuit, estque à natura vitalis, vt vita sit corporis illius, cui adunatus est: cumque adunatus fuerit cõditione immortalitatis, si imago Dei in ipso permaneret, id est, si ille Spiritus ad Deum, qui lux & vita est ipsius, respiceret; sequitur hominem immortalem fuisse futurũ, quia mansura fuerat illa personalis vnio; & corpus fuisset immortale futurum, non vi sua, Nam est elementare; sed vi spiritus viventis in ipso personaliter, & vitam habentis à Deo ipsius archetypo. Postquàm verò Spiritus ille, qui οὐσιωδῶς immortalis est, à Deo defecit,

Deus affecit hominem morte prima, quæ naturalis est dissolutio spiritus à corpore; vt illud quod per se, & secundùm naturam suam mortale est, obiret mortem, & in sua principia resolveretur. Itaque substiturum semper fuerat corpus, quia spiritum vitalem erat habiturum: Spiritus autem vitalis semper erat sustentaturus corpus, si semper luci & vitæ suæ in Deo adhæsisset: sed discedente Spiritu à Deo, lex discessus animæ à corpore consequuta, & ex discessu animæ defectus corporis constitutus est.

20 *Vocavit itaque Adam nomen vxoris suæ Chavam, eò quòd ipsa esset mater cuiusque viventis.*

21 *Fecitque Iehova Deus homini & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.*

Etsi dictionem antecedentem sententiæ Deus justo judicio repentè præstare potuit, aut certè hominem sine ampliore testimonio suæ gratię & beneficentiæ relinquere: tamen Deo visum est hominem in tantis rerum difficultatibus tanta miseria consolari, & in spem recuperandæ salutis erigere, non solùm Evangelicis promissionibus quas antè audivimus, & reliquijs imaginis Dei per gratiam ipsiùs conservatis, quas homo secum ipso fuerat amissurus: verùm etiam temporariis & corporalibus quibusdam beneficijs de spiritualibus atque æternis confirmare in eorum exspectatione. Horum autem temporalium corporeorúmque beneficiorum, quas Deus futuræ suæ misericordiæ tesseras exstare voluit, documenta duo his duobus versibus exponuntur: Vnum, ad vitam hominis, alterum ad vestitum pertinens. Nam de victu in sententiæ dictione antè audivimus. Ad vitam pertinet, quod versu 20. ad vestitum, quod 21 proponitur. Nam sententia versus 20. hæc est: Deum sententia in homines lata, vitam, quam facto suo ipsi prodiderant perdiderantque, ita prorogavisse, vt etiam in ipsos benedictionem, quã in creatione pronunciaverat, continuaturus esset: cúmque individua per se in hac vita perdurare non possint, eo am-

pliùs

pliùs Deum adductum esse vt continuaretur species humani generis propagatione & procreatione liberorum; Cujus propagationis facultatem & conscientiam Adamo & Chavæ inditam ante peccatum, confirmatam post peccatum voluit. Hujus ergo confirmationis & stabilimenti conscius Adam grato animo documentum exstare voluit conservati & perpetuati illius beneficij in nomine vxoris suæ, quam velut Dominus vxori datus, & jus habens imponẽdi nominis appellavit Chavam Hebræo nomine, quod est (si latinè interpreteris) vivens, aut si ex secundæ conjugationis etymo interpretari placuerit, in vita conservãs, nimirùm propagatione, educatione, & procuratione liberorũ: Quam rem matribus præcipuè commendatam esse antè in dictione sententiæ audivimus, & in priore ad Timo. tribus aut quatuor locis docet Apostolus. Hujus autem versus, quem synecdochicè vel metalepticè interpretati sumus, partes duæ sunt: vna est historia de nomine imposito: altera, de causa. De nomine imposito hæc Moses enunciat. *Vocavit Adam nomen vxoris suæ Chavam.* Quando autem? nempè cùm à Deo vitæ productionem vtrique concessam, & fœminæ liberorum gestationem, partum, educationemque imperari à Deo audivisset, & creationis legem quam ipsi maleficio suo everterant, per Dei gratiam instaurari. Causam appellationis exponunt hæc verba: *quia illa sit mater cuiusque viventis*, sit autem, tùm quidem potentia ex instituto Dei, posteà verò actu ipso, quia ex ea omnes homines secũdùm carnem prognati sunt. Quòd autem omnes homines à Mose appellantur, *Omnis vivens*, id synecdochicè factum est, cùm appellatio generis attribuatur speciei: Species autem secundùm quid accipienda est, nempe secundùm autores illius genituræ, quandoquidem similes similibus gignuntur creationis lege. Itaque hujus versus documenta hæc sunt.

1. Deum homines, quamvis perditos suo facto, non

deseruisse sine testimonio; sed gratiam suam ipsorum mentibus corporibusque testatam fecisse signis & documentis quàm plurimis: in quibus sunt eorum vita, & posterorum propagatio.

2 In genitura & propagatione, vt in reliqua communicatione vitæ, primas à Deo viro attributas esse; secundas fœminæ.

3 Propterea viro, tamquam Domino à Deo instituto, imponendi nominis authoritatem competivisse.

4 Singularem verò in liberorum procreatione & procuratione operam officiumque ad fœminam delatum esse atque impositum: cui officio promittitur Dei benedictio, & fœminæ salus.

Sequitur jam alterum testimonium beneficentiæ Dei de hominis vestitu: cujus vestitus duplex homini fuit necessitas; vna, quã homo statim à peccato sensit, nempe vt pudori ipsius obtegeretur: Altera, cui consultum voluit Deus incogitante homine, nempe vt ab injuria coeli, rerúmque cæterarum defenderetur tegmine. His duabus de causis dicitur *Iehova Deus fecisse Adamo & vxori eius*, qui tum nudi erant, & sese ex peccato nudos animadverterant, *tunicas*, easque *pelliceas*, tamquam faciliùs parabiles, & cuti hominis convenientiores, *easque homini induisse*. Duplex officium Dei: quòd curavit vestes, & quod homini induxit, vt studium suum amplissimum homini in peccato jacenti & doloribus confecto testatum faciens, consolaretur eum. Itaque hujus versus eadem sunt documenta cum præcedente: hæc ampliùs observanda.

1 Singularem & infinitam Dei in singulos misericordiam in singulis actionibus hoc exemplo demonstrari.

2 Vestitum donum Dei esse, sed ad necessitatem donatum pudoris tegendi, injuriæ arcendæ, & caloris valetudinisque nativæ conservandæ causa.

3 Eò indignius in Deum peccare, qui dono ipsius & ad

ad necessitatem donato, ad fastum, luxum, lasciviam, &c. id genus abutuntur.

22 *Post dixit Iehova Deus, Ecce homo fuit tamquam vnus ex nobis ad cognitionem boni & mali: nunc verò* videamus *ne immittat manum suam, & accipiat etiam de fructu arboris vitæ, vt comedat & vivat in æternum.*

23 *Itaque dimisit eum Iehova Deus ex horto Edenis, vt coleret terram vnde fuerat desumtus:*

24 *Et expulit hominem: & collocavit ab anteriore parte horti Edenis Cerubinos, idque cum mucrone gladij circumversantis se, ad observandum viam ad arborem vitæ.*

Sententiæ dictionem à Deo latæ sequitur exsequutio, his tribus vltimis versibus cōprehensa. In hac autem narratione de divina exsequutione sententiæ, duæ partes observandæ sunt, quarum vna exprimitur in his versibus, altera reticetur. Quæ pars in his versibus exprimitur, ea est privatio boni & benedictionum omnium quas Deus homini in horto exposuerat: Quibus benedictionibus reliquæ quoque benedictiones, quæ aut homini antè inerant, aut porrò erant adfuturæ, significabantur. Quæ autem pars exsequutionis reticetur, ea est de maledictionibus singulis quas Deus antè pronunciaverat in humanum genus. Atque hæc quidem pars de maledictionibus divina sententia impositis & effectis, à Mose ad brevitatem reticetur, duabus de causis; quarum vna est, quòd exsequutionem eorum omnium quæ antè sententia Dei fuerant pronunciata minutatim, non fuit necesse minutatim iterumque percurri; quia ex ipso sententiæ modo quem suprà audivimus, necessariò concluditur exsequutionis suppliciorúmque modus, quamvis ampliùs non exprimatur. Altera verò causa est, quia omnino ex antecedentibus intelliguntur consequentia & ex parte totum: Antecedens autem est earum maledictionū quas

antè pronunciavit Deus, quòd homo ex possessione benedicti loci, id est, horti Edenis, & benedictionum quæ in eo erāt, dejectus est; sine qua dejectione non fuisset in maledictiones contrarias ita deturbatus vt Deus pronunciaverat. Nam qui ex benedictione in maledictionem præcipitatur, eum necessario oportet benedictione cedere, vt concedat in maledictionem: quandoquidem maledictio & benedictio eidem secundùm idem, eodemque modo non possunt competere. Homini autem eidem, secundùm idem, eodemque modo, & tempore, abjudicavit Deus benedictionem, & maledictionem importavit. Deinde quòd ex parte totum diximus intelligi, id quoque est in hac causa verum. Nam cùm sententia irati Dei duas partes complectatur, benedictiones homini eripi, & maledictiones importari: vbi Moses benedictiones eripi ostendit, continuò sequitur maledictionum quoque irrogationem contineri, atque adeò (quod amplius est) ipsam privationem benedictionum signorúmque ad benedictionem pertinentium certissimum esse signum maledictionis, & ab ea inseparabile. Quod signum tamen Deus in sententia sua non obscurè indicaverat, quum homini dixisset terrā ei spinas & tribulos progerminaturam esse, hominem herba agri vesciturum, & in sudore vultus sui vsurum panē; quibus omnibus satis evidenter Deus ostenderat futurum esse, vt ex horto (qui sponte benedictiones homini profundebat) in alia terræ loca depelleretur, vbi miserias illas esset experturus. Atq; hæc de illa exsequutionis parte quam Moses reticet, & de causis silentij. Quibus tertiam si placet addere hæc esto: quòd ipsa naturalis conditio nostra & perpetua indesinensque hominum experientia, tacente Mose, satis docet conscientiam nostram & arguit hæc omnia, in quibus à natura versamur, à Dei sententia proficisci. Restat vt de ea parte dicamus, quam Moses his versibus exprimit. Hujus ergo partis tria sunt capita ad narrationem exsequutio-

tio-

tionis pertinentia. Nam 1. consilium exponitur, versu 22. Secundò exsequutio, versu 23. posteà autem obsignatio exsequutionis, in versu vltimo.

Primus locus, qui consultationis est, in versu 22. duo postulat à nobis explicari: 1. quid causæ fuerit cur Deus hunc consultationis modum dicatur adhibuisse: secundò autem quæ substantia, & quæ partes consultationis istius. Causa igitur propter quam Dominus hanc consultationem dicitur habuisse, eodem modo pervestiganda est, quem suprà in capitis primi versum 26. observavimus: tantùm eò discrimen est, quòd contrariæ sententiæ & cõtrarij argumenti causa ex contrarijs petenda est. Quemadmodum igitur capite primo ex narratione Mosis & luculentissimo quoque Cyrilli testimonio demonstravimus, Deum propterea vsum esse eo consultationis genere, vt maximum in rebus creatis inferioribus opus se aggredi ostenderet, studiumque suum paternum erga humanum genus testificaretur: Sic ex contrario intelligendum est Deum hoc consultationis genere fuisse vsum, & Mosem certo consilio idem perscripsisse, vt ostenderetur, primùm gravitas operis quod Deus in deturbando homine (qui cæteris rebus Dominus fuerat institutus) erat effecturus: 2. vt studium suum paternum etiam erga immerentem, indignissimum & immorigerum, tamquam erga creaturam suam ostenderet; ac proinde palàm faceret omnibus hominibus, quantoperè certet ipsius misericordia cum hominum peccatis: quæ prout infinita est, etiam in infinitum homines prosequitur, sed ita vt non infringatur, ac potiùs integra maneat infinita justitia ejus. Hæ igitur, sententia mea, sunt causæ, quibus Iehova Deus, id est, Deus ille Essentia vnus, personis trinus hunc adhibuerit consultationis modum: sive tres personas in vnitate Essentiæ hoc consilium inter se dicamus communicavisse, sive patrem, tamquam fontem & autorem consiliorum decretorúmque omnium, hoc consilium cum filio tam-

quam sapiêntia & Spiritu tamquam virtute sua contulisse: Quod posterius interpretationis genus priscæ Ecclesiæ magis placuisse in caput 1. ostendimus. Iam verò (vt de substantia hujus consultationis dicamus) summa est, Hominem, quandoquidem graviter in Deum peccavit, documentis & signis illius vitæ benedictionumque Spiritualium quas in horto Edenis obtinuerat, spoliandum esse, ne fortè novis occasionibus ampliùs illudi sibi à Diabolo & sua infirmitate pateretur. Hujus itaque consultationis partes duæ sunt: prior est ætiologica ex re præsente, posterior verò est statuti vel decreti pronunciatio suis causis conjuncta. Ætiologicum membrum decreto præiens his verbis exponitur: *Ecce homo est tamquam vnus ex nobis ad cognitionem boni & mali*: Quod membrum varijs modis exponitur: Nam alij simpliciter, alij verò ironicῶs accipi putant oportere, vt & sequens membrum ejusdem versus. Ac mihi quidem tam grave opus, quo Deus se tantopere affici ostendit, ironicῶs pronunciari non probatur ratione vlla. Nam non ita sunt crebræ in Scripturis sacris ironiæ, neque in tam gravibus argumentis; neque à Deo adhibitæ, neq; apud se aut apud alios facilè quàm eos ipsos qui Ironia perstringuntur. In consultatione verò quis credat ironiam à Deo adhiberi potuisse? Simpliciter igitur, ac non ironicῶs hoc membrum accipimus. Rursum autem ab ijs qui simpliciter accipiunt duplex est interpretatio: Vna est, Deum his verbis recordari breviter antecedentis illius conditionis in qua homo conditus fuerat, vt hoc membrum ad indignitatem criminis ejus amplificandam pertineat, in hanc sententiam: Homo fuerat antè lapsum tamquam vnus ex nobis, præditus cognitione boni & mali simplicissima, in qua habebat cur acquiesceret: nunc verò mutata conditione illius, non vlla mea sed ipsius culpa, aliud mihi decernendum est, &c. sed ne hæc quidem interpretatio mihi satis placet: 1. quia Deus de re præ-

præsente videtur agere, quum dicit, *Ecce*: Secundò, quia nusquam legitur, nec verò facilè confirmari potest hominem antè fuisse præditum cognitione boni & mali: postremò autem quia hæc interpretatio non ita fluit, aut satis respondet commodè hujus decreti interpretationi. Altera interpretatio, qua per tempus præsens hæc verba explicantur, videtur magis respondere Satanæ verbis, & hominis consilio, cùm verbis Satanæ ab officio traduceretur; si hæc verba per interrogationem legeris, quemadmodum similis est locus infrà cap. 11. 6. Hoc autem vt commodè intelligatur, statuendum est (quod olim Chrysostomo video placuisse) Deum hæc quidem verba per modum consultationis pronunciavisse: sed tamen ita vt audiente homine & in os ipsius hæc ipsi quodammodo exprobrata sint: ac proinde quum Deus in hoc priore membro his verbis vtitur, perinde est ac si narraret Moses, Deum sententia superiore lata, vbi de rebus quibusdam necessarijs cōsuluisset ipsi, eum ita vestitum tamquam in consilio stitisse, & personam Dei patris, Filium, & Spiritum sanctum compellantem nō ironicῶς, sed ἐπιπληκτικῶς, & judiciali planè gravitate hominem in rem præsentem adduxisse, & exposuisse quid tandem assequutus esset illo antecedente maleficio suo in hanc sententiam: Iam adest homo peccati reus, quid tādem assequutus est miser? cui spes ingens facta fuerat ipsum fore tamquam vnum ex nobis, ad cognitionē boni & mali perventurum, denique adæquaturum majestatem Dei? nempe perditus cōsilij finis, & obsequiū perditū, quo homo & cōditionē suam perdidit, & illā ipsam cognitionē qua præditus erat amisit, quā ampliore affectavit. Atq; hic quidem locus simplicissimè ita accipiendus est, judicio meo: in quo id maximè observandum est, vnitatem divinæ essentiæ ita asseri, vt personarum distinctio evidētissimè comprobetur, quemadmodum suprà cap. 1. 26. demonstravimus. Ex hac exprobratione causam sententiæ sequentis

continente, sequitur consilij pronunciatio in membro altero. Ad quam pronunciationem transit Dominus, rei præsentis contemplatione, dicens, *Nunc ergò*; tamquam si diceret, Cùm neque revera quicquam coràm nobis in homine compareat nisi maledictione dignum, neque homo ipse vel vnica vocula, nedum reipsa, quicquam adferre possit, quod ex hoc suo facto ipsi accesserit; quid ampliùs superest, quàm vt conjiciatur in eas maledictiones quæ antè pronunciatæ sunt? Conjiciatur autem adeò graviter, vt & prematur maledictionibus, & spe omni beatitudinis spolietur, quam in seipso, aut rebus creatis esset habiturus? Itáque ad hanc rem duo modi posteà à Deo constituuntur: vnus, quòd homo privatur arbore vitæ: Alter, quòd privatur illo ipso deliciarũ horto in quo fuerat collocatus, vt eadem opera arbore vitæ privaretur. Ac posterior quidem hæc pars in hoc versu reticetur, per Ellipsim elegantissimam Hebræis & Atticis persamiliarem; quæ tamen Ellipsis ex narratione sequentis versus suppleri debet. Prior verò sententiæ locus qui in hoc versu exprimitur, duas partes continet: vnam, ad factum, alteram ad consilium hominis pertinentem: quæ duo in hac sua sententia Deus interserit. Nam primùm hominis factum impediturum se narrat his verbis: *ne immittens manum suam capiat etiam de fructu arboris vitæ:* Deinde verò consilium, illis: *Vt comedat victurus in æternum*, Prius, quòd se impediturum pronunciat, ne homo immissa manu capiat de fructu arboris vitæ, amplificatur particula, *etiam*, respiciẽte nimirũ ad antegressum hominis factum, qui de arbore scientiæ boni & mali ceperat. Quid? inquit Deus, an igitur ferrem eum qui cõtra interdictum meum cepit de fructu arboris illius, etiam deinceps sumere de fructu alterius? & hominem indignissimum, hoc dignissimum vitæ sacramentum indignissimè profanare, & sumere in judicium suum? Quòd autem consilium hominis se Deus impediturum dicit verbis sequentibus, id va-

riis modis ab interpretibus exponitur: nos missis aliorum sententijs, bona omnium pace, sic interpretamur: Videndum ne comedat quoque homo de fructu arboris hujus, victurus, id est, eo consilio vt vivat in seculum. Non enim id concedit Deus esse futurum, vt homo, si de fructu illius comederit, vitam æternam adipiscatur; sed potiùs ita statuit Deus, se ne id quidem ferre posse, vt homo in fructum arboris illius involet, præcepta ea spe fore vt si comederit, vitam obtineat: Quemadmodum videmus hypocrisin omni tempore ita fuisse comparatam, vt symbolis à Deo datis veritatem ipsam ijs adumbratam tribuat; seque inde, tamquam ex opere operato, confidat assequuturam ea quæ illis symbolis figurantur, exhibenturque institutione Dei.

Secũdum exsequutionis membrum in facto versatur, versu 24. quum Deus illud ipsum quod judicialiter Adamo & vxori ejus pronunciaverat, dicitur præstitisse: id autem est duplex, singulis membris versus 24. distinctum. Prius est: Quòd *Iehova Deus emisit hominem ex horto Edenis*, id est, destituit tot & tantis commodis ad vitam præsentem pertinentibus, & simul illo vitæ æternæ symbolo; quæ omnia in horto illo erant, vbi homo fuerat collocatùs. Emisit autem non simpliciter, sed tamquam sententia dicta exsulem quum pronunciavisset, fugavit turpiter (vt sequente versu exponitur) tamquam indignum conspectu Dei, & tantorum commodorum fructu quæ ad hanc & æternam vitam pertinebant. Alterum factum est, quòd expulit in terram vnde sumtus fuerat, tamquam detrudens in sua principia, & in pelagus malorum ærumnarúmque conjiciens quas Deus antè pronunciaverat.

Etsi autem hoc membrum disertè non dicit Moses; tamen ex fine consilióque ostenditur, quum inquit dimissum fuisse hominem vt coleret terram vnde sumtus fuerat, id est, in sudore vultus sui comederet panem, &c. Itaque ex his duobus versibus documenta hæc potissimùm haurienda sunt.

1 Non posse Dei justitiam, quin peccatum damnet peccatorésque reprehendat.

2 Deum peccatores ita reprehendere atque castigare, vt etiam intervertat cōsilia ipsorum ad peccatum spectantia; & sublatis medijs, quorum fiducia futuri essent peccaturi, maledictionum documentis eos circumdare.

3 Maledictiones illas nō ita momēto vno in hominē peccatorē infundi, quin Deus cū patiētia & longanimitate sua ad resipiscentiā provocet, vt cōfugientes ad misericordiam ejus & gratiā amplectētes salutem assequantur.

Huic exsequutionis membro subnectitur obsignatio illius judicij quod Deus erat exsequutus; quū narrat Moses, postquàm Deus hominem expulisset, collocavisse Angelos cum flammante gladio, qui se huc illûc obverterēt ad obsetvādū viam quæ fert ad arborē vitæ. Est autē in hac obsignatione (vt ita dicamus) triplex consideratio à Mose observata accuratissimè. Nam primùm antecedentis facti modus describitur, priore membro versus; deinde obsignationis illius modus atque instrumenta: postremò finis. Antecedens est, quòd *Deus hominem dicitur expulisse.* Quorum verborum hæc sententia est, Deum non solùm verbo & mandato suo hominem inde dimisisse; sed quod amplius est, Angelis suis & flammæ rapidissimæ permisisse exsequutionem sententiæ suæ, vt tamquam armati tortores in reos irruerent post latam Dei sententiam. Obsignationis modus & instrumenta deinde exponuntur: Instrumenta exponuntur duo, nempè Angeli & flamma gladij, id est, flammans gladius per hypallagen, qui se huc illuc obverteret in omnes partes, prout ex vsu fore videbatur ad efficiendum consilium Dei. Modus verò, quòd hæc duo instrumentorum genera collocavit Deus, sive (vt sonat Hebræa vox) habitare jussit, id est, imperavit stationem eis in anteriore parte horti Edenis, nempe vt in stativis suis excubarent, omnésque aditus, quibus homo in hortum illum potuisset irrum-

pere

pere, religiosè custodirent. Atque hæc quidem non simpliciter causa illius horti dicuntur fuisse facta; sed potiùs (vt Moses sub finem versus explicat) eo consilio & fine facta sunt, vt observarent viam ad arborem vitæ, id est, omnes accessus homini præcluderent: quibus non solùm in hortum fuisset venturus, sed maximè atque potissimùm invento aditu manum immissurus & accepturus de fructu arboris vitæ, vt versu 23. Deus pronunciavit. Hîc verò quæstiones variæ oboriuntur: duæ tamen potissimùm ad hunc locum adferri solent: vna de Angelis: Altera de horto. De Angelis vulgò hîc quæri solet, cur Moses in creatione eos reticuerit, & hoc primùm loco mentionem de illis injiciat. Cur reticuerit in narratione antecedente creationis, jam eo loco explicavimus; nempe fuisse Mosis consilium vt creationem hujus vniversitatis, sive τοῦ παντὸς φυσικοῦ accuratè ostenderet: Cœlestes autem illas & hyperphysicas intelligentias, extra illam vniversitatem, quæ in rerum natura definitur vulgò, statuendas esse. Etsi eodem quoque argumento ostendimus non obscurè cælestes quoque illas creaturas à Mose fuisse comprehensas posito genere, quum narrationem illam his verbis cõcluderet, *Fuisse absolutos cælos* & terram & omnem exercitum eorum. Quemadmodum etiam non potest vir pius dubitare, quin ex eo ipso, quòd Angeli sunt ministratores, & hoc in loco ministrare dicũtur mandato Dei; ex eo igitur ipso necessariò concludatur, illos jure naturæ, ac proinde creationis Deo ministrare. Etsi hoc quoque non est prætereundum, à Mose potiùs Cerubos hoc loco quàm Angelos appellari, quia sic voluit Spiritus S. ostẽdere hos Angelos administros sententiæ Dei Adamum pepulisse forma aspectabili; cujusmodi forma posteà in lege ex mandato Dei fuit observata. Restat altera quæstio de horto: sed eam quæstionẽ similiter in cap. 2. exposuimus. Primùm qui sentiunt hæc ad momentũ sic fuisse facta, vt Angeli illi & flammãs gladius expulso Adamo disparuerint,

illi non vident, hanc suam sententiam & modo, & fine everti, quos circumscribit Moses: Modo, quia sic Deus eos collocavisse dicitur vt hæc illis statio & habitatio esset: Fine autem, quia hæc statio fuisse imperata dicitur, vt observarent viam ad arborem vitæ, puta in posterum, ac non solùm hominem semel ejicerent. Qui putant post aliquod tẽpus, aut certè diluvio hæc sublata esse, aliquid dicunt: sed mihi tamen non fit probabile. Quòd si locus adhuc vsquam in rerum natura est, eò certè videtur illud pertinere quod ex lib. 2. Natural. historiæ Plinij antè adduximus. Verumtamen mihi non liquet. Documenta eadem sunt cum præcedentibus.

Deo creatori Opt. Max. & redemtori æterno gloria.



CONFVTATIO

ARGVMENTORVM XXII, QVÆ OLIM A SIMPLICIO IN SACRAM MOSIS

historiam de Creatione, fuerunt proposita, & hoc nostro seculo ab hominibus prophanis Atheisque recocta imperitis obtruduntur.



HEIDELBERGÆ,
CIↃ IↃ LXXXIX.

FR. IVNIVS PIO LECTORI.

NON fuissem, benigne Lector, hæc argumenta editurus, nisi compertum exploratumq; fuisset multorum testimoniis, an querimoniis per manus circumvolitare, & ingeniis quibusdam imperitioribus ac minùs exercitatis negotium facessere. Nam quorsum res adeò absurdas, impuras, impias videre lucem? sed quia in tenebris nocent non mediocriter, productáque in lucem minùs sunt nocitura, si præmoneantur quicunque student saluti suæ, & responsis solutionibúsque commodis, velut amentatis hastis, subiectis & subministratis adiuuentur: plus apud me potuit salutis communis ratio, & bonorum quorumdam postulatio, quàm malignarum mentium offensio. Quamobrem ego te, benigne Lector quisquis es, rogo & oro per Deum immortalem & Dominum Iesum Christum, qui venturus est ad iudicandum vivos & mortuos secundo adventu & glorioso suo, vt quanto studio expetis salutem tuam, tanta religione ab illis argumentis abstineas quæ salutari verbo adversantur; eaq; vbi legeris, illicò remedium aut mediteris ipse contra venenata illa perditorum hominum argumenta, quod est opus, aut solutiones à nobis optimo animo & fide scriptas, æquo item animo perlegas, atque in veritate Dei, quam Scriptura sacra expressit nobis, religiose conquiescas. Vale in Domino, & bonis illius quæ sincera mente promimus, bene salutariterq; fruere ad gloriam ipsius.



ANTINOMI I. ARGVMENTVM.

Prima philosophorum ratio, quam Simplicius adfert est hæc; Moses in primo capite Geneseos disertissimis verbis scribit Solem quarto fuisse die procreatū. Atqui Sol est causa diei: Quomodo igitur ante eius creationem tres præcesserant dies? Nam perinde est, dicere tres dies antè fuisse quàm Sol crearetur, atque effectum fuisse priorem sua caussa; filium tempore suum antecessisse patrem: quale absurdum nec in fabulis quidem reperitur. Atque hoc potissimùm argumento commotus fuit Augustinus, vt relicto huius sensu literali ad sensum se cõverteret spiritualem: Magistros imitatus fabularum, qui fabulas ipsas (vt verba sonant) falsas esse videntes, eas de rebus Physicis vel moralibus interpretantur.

RESPONSIO.

Antinomus iste hoc syllogismo vtitur:

Effectus numquam est prior sua caussa, sed semper caussa effectu prior:

Sol autem est caussa diei:

Dies igitur non fuit prior sole; sed priorem fuisse Solem necesse est: ac proinde falsus Moses.

Antequàm de hoc argumento dicam & consequentibus; æquum Lectorem tum de re ipsa, tum de modo disputationis nostræ opus est præmoneri: quod paucis facturi sumus. Vulgatum est illud dictum *Adversus eum qui negat principia nõ oportere disputari.* cur autem? quia principia aut per se nota sunt, aut per lumẽ superioris alicujus sciẽtiæ. Hoc autẽ si vno cõsensu probãt Philosophi, de ijs sciẽtijs dictū quæ à luce naturali sunt: multo magis ac religiosiùs tenendū est in ea sciẽtia, quæ principia habet nõ lucis istius naturalis, sed illius supernaturalis quã inspirat Deus: tū quia principia ejus ipsa per se nota sunt, secūdùm illam supernaturalẽ lucem qua suos illustrat Deus, tū quia nulla superior est sciẽtia, vnde firmamẽta hujus arcessi possint. Quid ergo? & quomodo disputamus? dixerit quispiã. Hic modus disputationis nostræ: quòd nõ asserimus simpliciter

dogmata ſcientiæ hujus noſtræ à principijs ipſius, & negantibus adverſarijs obtrudimus (quorſum enim hoc, niſi ſuperna luce à Deo illuſtrati ſint?) ſed adverſariorum principia refellimus, & arma extorquemus de manibus illorum, quando cum illis conſeri oportet manum. Armorum autem duo ſunt genera, quæ ab iſtis hominibus occupantur: nam aut noſtris corruptis vtuntur falsò, aut proferunt ſua depromta ex rationis luce. Quapropter in tota hac diſputatione duplex nobis ineundus eſt modus: vnus, vt quæ noſtra falsò ab illis vſurpantur corrumpuntúrque, ea ex veritate à depravationibus illorum vindicemus: quæ autem ſua ex cæcæ infirmæque rationis luce obtrudunt illi, ea certis argumentis ex ratione compertiſſima & autoritatibus ipſorum confūtemus. Hic ergo modus futurus eſt diſputationis noſtræ; hi cancelli, in quibus religiosè nos continebimus: maximè, quia piorum cauſſa, qui lucem Dei habent & colunt, præceſſit antecedente libello ſimplex veritatis illius interpretatio. Nūc enim cum Antinomis cauſsâ piorum congredimur ad refellenda mendacia; vt pij comperto mendacio in veritate ampliùs confirmentur. Iam ad ſingularem Antinomicorum argumentorum confutationem veniamus.

Hujus igitur argumētationis vtraque Propoſitio duobus modis eſt vitioſa: homonymia, & elenchi ignoratione; vt cum Scholaſticis agamus ſcholaſticé.

Nomen cauſſæ homonymon eſſe, quo vtitur in hac ſua argumentatione, ſi neſcit Antinomus, imperitus: ſi novit, iniquus eſt aut malitioſus. Nam rei vnius aut vna eſt cauſſa, aut plures. Si plures; ſuo ordine dicuntur cauſſæ; principales, adjuvantes, &c. ac rurſum hæ ſuo ordine. Tum verò principalium & coordinatarum (vt vocant) aliæ ita ſe habent, vt per ſe ac ſine alijs ſubordinatis effectum ſuum gignant; aliæ autem minimè. Iam verò ſi ſuo Ariſtoteli credit Antinomus, Deus eſt principium, cauſſa & finis eorum omnium quæ ſunt: ac proinde ſemper eorum.

rum omnium quæ sunt sic causa est, vt aut per se vna causa, aut subordinatis alijs summa dicendus sit. Quid ergo, si diei tum vnicam fuisse caussam dicamus Deum? hoc certè non euerteretur principijs illorum. Nam si Deus principium est eorum omnium quæ subsistunt; horum verò alia immediatè subsistunt à summa caussa, alia per media quæ ordinavit Deus: nulla ratione effecturi sunt, vt dies non potuerit immediatè à Deo exsistere. Quòd si negaverint quædam immediatè à Deo subsistere (quod certè facturos non puto) ascendant retrò per media ad summam vsque caussam, quam appellamus Deum: omnino aut media in infinitũ daturi sunt (quod absurdũ esse philosophi vno consensũ docent) aut proxima media immediatè à Deo esse fatebuntur. Verumtamen hoc nos quidem minimè dicimus. Sed mediatè exstitisse diem à Deo, summa caussa & ente entium (vt vocant) agnoscimus. Nam summa efficiens caussa lucis, Deus est: mediās caussa, elementum ignis, quod subjectum esse φωτιστικὸν natura, & ratio, & philosophorum consensus docet. Si argumentaretur Antinomus hoc modo: *Effectus non est prior sua caussa efficiente naturali: Ignis elementaris est caussa efficiens naturalis diei vel lucis: Lux ergo non fuit prior:* daremus argumentum, lucem naturalem non præcessisse elemento ignis: quemadmodum ex Basilio, Nysseno, Damasceno, aliis antè interpretati sumus dictum illud Dei, *Esto lux*. De Sole verò alia ratio est. non enim subjectum lucis vel diei est Sol: sed instrumentum subordinatũ providentia Dei ad lucem illam elementarem rebus omnibus adferendam, & ad cōtemperanda effecta omnia quæ his rebus inferioribus opus esse vidit Deus opifex sapientissimus.

Elenchi verò ignorationẽ Antinomum in hoc suo argumento παραλογίζεσθαι omnes animadversuri sunt, qui tempus generationis à tempore constitutionis distinxerint: Tempus generationis appellamus, illud creationis,

ſpatium quo fuit in fieri,vt loquuntur Scholaſtici: tempus verò conſtitutionis, illud quo creatio eſt in eſſe: illud, tempus ποιήσεως; hoc, tempus ποιήματος. Ineptè enim de tempore ſeminis prædicantur, quæ ad tempus ſegetis pertinent; & de tempore ortus, quæ ad perfectionem rerum. Iam enim creatione conſtituta id facilè damus Antinomo & Philoſophis omnibus (quorum ſapientia ad oppugnandam ſapientiam Dei abutitur) Solem eſſe cauſſam dici vel lucis, ſed inſtrumentalem: tum verò Solem non fuiſſe dicimus, ac proinde cauſſam lucis minimè, ne inſtrumentalem quidem; quamvis ſine inſtrumento lux, & ſecundùm cauſſam ſummam, id eſt Deum, & ſecundùm cauſſam ſubjectivam (vt loquuntur) id eſt, materialem ſuam, putà ignem elementarem, exſtiterit. Hoc ergo, quod Moſes dicit, fuit ſuo tempore; putà rebus naſcentibus & ordine earum ſucceſſivè (vt loquuntur) procedente: & hoc quoque quod illi dicunt, fuit poſteà verum; nempe lucem, non vt tunc, ab igne proximè & immediatè; ſed vt nunc, à Sole medjante, velut inſtrumento divinitus ad iſtud opus ordinato, procedere. Hoc (ſi placet) paucis hoc modo abſolvemus. *Lux eſt qualitas activa conſequens formam ſubſtantialem corporis à ſe lucentis. Ignis eſt corpus à ſe lucens: Lux ergo qualitas eſt ignis*. hæc de primo die. De quarto quid? *Sol eſt corpus inſtrumentale ab igne lucens*, ſive in ipſo ignis, ſive extra ipſum dicatur eſſe, & ἀνακλάσει, id eſt, repercuſſu lucere nobis (nam hæc quæſtio nihil ad nos) *Lux ergo qualitas eſt ignis primò & per ſe (vt loquuntur vulgò) ſubiectivè, & qualitas Solis inſtrumentaliter.* Quam rem narratio Moſis convenienter naturæ explicavit, & Deus effecit ſapientiſſimè, vt potentiam ſuam mirificam ſine inſtrumentis agentem demonſtraret. Tum enim demum fuit tempus contemperandi per vices caloris, exercendarúmque cæterarum operationum ejus, quum

for-

formæ in terra fuerunt editæ, quas ista contemperatio foveret atque conservaret: hæ autem formæ die primùm tertio exstiterunt. Atque hoc illud est quod veteres nonnulli senserunt, quum dicerent lucem illam fuisse Solis informis; hanc verò quę nunc est à die quarto, formati Solis appellandam esse. Sic falsissima est Antinomi hujus nostri argumentatio.

Quòd autem Augustinum vellicat, lucemque spiritualem, quæ ab eo adducitur: id mentem istius Antinomi omnibus testatam facit. Nam si Augustinum legit, non ignorat simplicem quoque interpretationem ab Augustino adductam esse: si non legit, id saltem discat & credat legentibus, sic vtramque interpretationem ab Augustino adductam esse, vt vnam simplicem, alteram figuratam esse & allegoricam agnoverit. Atque eam in sententiam dicit Augustinus lib. 13. de civit. Dei cap. 21. quæ commodè dici possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, nemine prohibente dici: dum tamen & illius historiæ fidelissima veritas rerum gestarum narratione commendata credatur. Non ergo alteram altera Augustinus statuebat evertere, quod isti iniquè faciunt; sed tantùm ex propria figuratam ἀλληγορικῶς voluit elicere. Sobrietatem quidem hac in re ab Augustino pij non immeritò desideraverint: nam quorsum allegoriarum ad simplicitatem historiæ accumulatio? sed in Antinomo & sobrietatem in judicando, & æquitatem in interpretando Augustino cupimus, in primis verò in sacrosancta veritate percipienda atque colenda veritatem.

ANTINOMI II. ARGVMENTVM.

Secunda ratio. Idem autor ibidem docet Terris ante productionem lucis fuisse obfusas tenebras. Sed tenebræ sunt privatio lucis. Privatio autem non præcedit, sed sequitur habitum, id est, lucem: sicuti cæcitas in communi non præcedit, sed sequitur visum. Vnde quemadmodum

ignorantiam ille ostenderet suam, qui diceret ante omnem visum fuisse cæcitatem: ita ignorantiæ notam effugere non posse videtur, qui asserit ante lucem fuisse in terra tenebras.

RESPONSIO.

Hic syllogismus Antinomi.

Privatio sequitur habitum:

Tenebræ sunt privatio lucis:

Ergo tenebræ sequuntur lucem. Contrarium asserit Moses: falsum igitur. Idem est responsionis modus, quem in superiore argumento ostendimus. Et hîc fallacia duplex, ex homonymia, & ex elenchi ignoratione.

Homonymum vel æquivocum est privationis nomen, & hîc Logicus noster μεγαλογίζει. Privatio enim Physicè aliter accipitur, quàm accipitur Logicè. Privatio, quæ principium est physicum, definitur vulgò carentia in subjecto habili ad formam illam suscipiendam cujus est privatio: ac proinde non est absoluta negatio, sed pro conditione subjecti habilis: vt homo illiteratus, exempli causa, privativè dicitur, qui fieri literatus potest, quamvis literas antè non habuerit, earúmque scientia aliquo singulari casu privatus fuerit, vt M. Messallam ferunt. Logicè verò privatio præsupponit habitum, vt loquuntur vulgò, & rei imperfectionem denotat ex amissione ejus quod antè habebatur. Privatio physica ejus est, qui habere potest & natus est ad habendum aliquid, cùm nondum habuerit: Logica verò, ejus qui habuit & desinit habere: ac proinde si ad definitionem Logicam respexeris, Physica illa propriè non privatio, sed carentia (vt ita loquamur) diceretur. Bifariam igitur æquivocatione illudit noster Antinomus, tum quod terminos artis cõfundit, contra quàm à Logicis suis præceptoribus edoctus est, nempe Logicam privationem cum physica; tum quòd ab vna privationis specie concludit alteram, faciens (quod Scholastici dicunt) distributum ex non distributo contra justas argumentationis leges.

Falle-

228

Fallere autem Antinomum, aut etiam falli ex Elenchi ignoratione, in superiore argumētatione soluenda ostendimus. Nam aliter se habet privatio lucis in illo tempore creationis primo, quum lux nondum exstitisset, aliter succedente tempore ex quo lux exstitit. Principio illo creationis, lux fuit potentia, non actu: ad potentiam autem physica illa privatio respicit, non ad actualem habitum. Ex quo verò lux constituta est, quasi depurato ignis elemento à materia reliqua; tenebræ fuerunt privatio habitualis hujus, ac non illius potentialis lucis. Quam rem qui non assequitur, Physicæ principia eum ignorare oportet planè: qui negat, is se expertem esse arguit cùm humanæ ac inferioris illius lucis quæ in Physica exponitur, tum divinę superiorisque hujus quam in Scripturis sacrosancto verbo suo revelavit Deus. Vtrumque ergo verum est: & tenebras anteivisse diei, cujus sunt privatio; quia dies in principio illo creationis considerandus est potentialiter in igne, vt arbor in semine: & jam tenebris præsupponi diem, quia ex quo hic naturæ ordine fuit constitutus, tenebræ nihil sunt aliud, quàm vera & actualis privatio veræ & actualis hujus lucis, quam his oculis percipimus.

ANTINOMI III. ARGVMENT.

Tertia ratio Ibidem narratur, primo die fuisse creatam lucem, quæ diem ipsam efficeret. Atqui diem efficit lux Solis. Ergo si idem tum qui iam habetur mundus procreabatur, eadem quoque lux Solis faciebat diem. Sed Sol quarto factus die dicitur: quo igitur pacto lux Solis primo facta die narratur? Nam lux non est substantia sed accidens: quia qualitas & proprietas est Solis: Accidens autem non magis sine suo cui inhæreat subiecto esse potest, quàm domus sine suo cui innitatur fundamento. Asserere igitur lucem primo die fuisse factam Solem verò qui subiectum est lucis, quarto die creatum esse; perinde est ac si diceretur domum primo fuisse exædificatam die, quarto verò die fundamenta eius primùm esse iacta.

RESPONSIO.

Aut circulariter disputat hic noster Antinomus, aut vertiginosé. Hoc enim argumētum revera idem est cum primo quod antè diluimus. Quid aliud faciant ij qui volentes scientes pereūt? Verūtamen resolvamus paucis, ne quid fortè novi dixisse videatur logodędalus iste, qui eidē rei aliū colorē adhibuit & pigmentū differēs. Sic ergo ille:

Prosyllogismus. *Accidens non potest esse sine subiecto suo:*
Lux est accidens, putà qualitas & proprietas Solis:
Lux ergo sine Sole esse nequaquam potest.

Syllogismus duplex: *Lux autem facta est die primo:*
Ergo & Sol.

Et contradicens: *Sol autem factus est die quarto:*
Ergo & lux.

Accidens (inquit Logicus noster) non potest esse sine subjecto suo: verè id quidem; sed ambiguè posito accidentis & subjecti nomine, vt noverunt omnes qui Logicam degustarunt. Suum enim subjectum, suumque accidens, aut essentialiter dicitur & propriè, ex quorum compage essentia rerum materiatarum omniū cognoscitur, τὸ τί ἐστι: aut accidentariè, sive cohæreāt propriè, sive communiter inter se coalescant. Atque hæc communia accidentia à natura ita sunt comparata, vt vni subjecto, aut pluribus, vario ordine & modo inesse possint. Sed vt de homonymijs istis & amphilogijs, quas isti homines aucupantur diligentissimè, taceamus, demusq; majorem propositionem illā: At minorē simul & negamus, & distinguimus, freti veritate rerū. Negamus lucem esse accidens in eum modū, vt sit qualitas & proprietas Solis. Quam rem, si autoritati philosophorum hic philosophaster acquiesceret (quos suæ hujus impietatis autores habet) nullo negotio vinceremus. Lux hæc, ô Antinome, elementaris est: subjectū est elementū ignis propriè: primò, & per se, ac proinde tribus illis primis diebus à creatione cœpta exstitit simpliciter à subjecto proprio & essentiali suo. Quid ergo? an-

non

non accidens est Solis? est sanè, sed diverso ordine, & modo. Nã lux nobis est ab ignis elemento propriè, à Sole accidẽtaliter: ab igne primò, à Sole secundariò: ab igne per se, à Sole per ignem; cui hoc instrumentũ attribuit Deus, vt lucẽ, caloremq́;, & effecta ignis elemẽtaris dispesceret ad cõmoditatẽ vniversitatis istius, & annos, tẽpora, menses, dies, omnia denique ductu & cõversatione sua distingueret. Cur autẽ sic philosophatur Antinomus, fidemq́; sibi haberi cupit, dũ hæc præter philosophorũ sententiam non dubitat affirmare? Assentiuntur philosophi eamdem esse astrorũ substantiã, quæ est suorũ orbiũ. Itaque fuerunt qui igneam esse substantiã eorũ affirmarent. Hoc evertit Aristoteles, neq; immeritó. Quòd si non est ignea hujus, certè nec illius. At cælũ, inquies, corpus est lucidũ. Agnosco in se lucidũ esse; at nõ lucens nobis, id est (vt Græcè dicam) φωτιστικόν. Nõ est autẽ cælũ φωτιστικόν: nec astra igitur; nec per cõsequẽs Sol per se est φωτιστικὸς, siquidem vna est essentia vtriusq;, vt philosophi consentiunt. Stat enim illud axioma, quorũ eadem est essentia eamdẽ & operationẽ esse: Est autẽ eadẽ essentia cæli & astrorũ. Ex quo sequitur, si Sol per se lucet nobis, & cælũ lucere: si cælũ nõ lucet, nec per se lucere Solẽ. Quid ergo lucet, nisi ignis in Sole? nam effecta ignis illius elementaris hoc quasi cõceptaculo & diribitorio (vt ita loquamur) dispescuit Deus sapientissimè. Quid ergo est lux igni? accidens essentiale. quid Soli? accidẽs exterũ; quamvis ex quo Sol institutus est, accidẽs facta est inseparabile illius. Lux ergo jam sine Sole esse nequaquam potest, quia Sol nequaquã est sine igne, aut ignis sine suo vehiculo, aut objecto, vnde lux feratur ad nos: sive Soli ignem inesse realiter, sive ἐνεργητικῶς δι' ἀνακλάσεως statueris. Igitur secũdùm quemdam modũ vera ꝓsyllogismi cõclusio futura est: si hæc duo intelligas: vnũ, lucẽ jam hoc tẽpore, ex quo naturã hãc relationemq́; instituit Deus, sine sole esse nequaquã posse, quãvis principio sine Sole extiterit: alterum, nõ posse sine Sole, tamquam

instrumentali subiecto, quod igni agendo ad commoditatem nostrã summus opifex assignavit. His positis, quid nisi nugatur argumentatione sua hic noster Antinomus? quid re & veritate nisi blasphemat? Hæc futura esset vera argumentatio, si ita statueret: *Lux est qualitas & proprietas ignis: facta est autem die primo: ergo & ignis.* & e diverso: *factus est ignis die primo & lux igitur.* Sed quo autore, quo jure de instrumento Solis idem confirmaturus est? Nam subjecta duo sunt numero, specie, genere differentia, tantùm communicãtia inter se hac operatione, sed ordinata, ac non confusa: nempe ita vt hoc sit instrumentum illius. Harum itaque rerum ortum naturamq́, optimè distinxit Deus opere, & Moses narratione sua. Qui autem oppugnant, ij nec justæ luci naturali & rectæ rationi credunt, nec divinæ veritati cedunt: adeò miserè sunt fascino Principis hujus mundi & sua ipsorum vitiositate excæcati.

ANTINOMI IIII. ARGVMENTVM.

Dies fit per motum circularem primi mobilis omnes inferiores orbes secum rapientis, astrumq́, Solis modò ad nos adferentis ad constituendum diem, modò à nobis auferentis ad faciendam noctem. Sed primum mobile non potuit primo die motu circulari voluere orbem Solarem: Ergo primus dies non est factus secundùm naturæ cursum. Maior vel est admittenda, vel tota Theologia explodenda. Probatur minor. Primum mobile vel est firmamentum, id est, cælum stellatum, vt Plato & Aristoteles existimaverunt, vel est aliquis alius orbis supra primum mobile, id est, cælum stellatum constitutus, vt omnes Mathematici arbitrantur. Sed firmamentum secundo die fuit creatum. Ergo non potuit primo die motu circulari movere orbem Solis. Sed neque orbis supra firmamentum positus movendo sphæram Solis efficere potuit diem: Nam supremus orbis seu primum mobile immediatè mouet nonam sphæram: per sphæram movet firmamentum seu cælum stellatum: per firmamentum, orbem Saturni: per orbem Saturni, orbem Iovis: per orbem Iovis, orbem Martis: per orbem Martis, orbem Solis: per orbem Solis, orbem

Mer-

Mercurij: per orbem Mercurij, orbem Veneris: per orbem denique Veneris, orbem Lunæ. ita vt si vnus ex intermediis orbibus tolleretur, primum mobile non posset inferiores movere & ciere orbes. Atqui inter primum mobile & orbem Solis interiectum est firmamentum: hoc autem secundo dicitur die creatum. Non igitur potuit primum mobile primo die motu suo circulari efficere diem noctemq́;.

RESPONSIO.

Eadem oberrat chorda Antinomus ac in superioribus argumentis: Nam & ex elenchi ignoratione peccat, & ex homonymia. Sed quia duplex est illius argumentatio, de vtraque ordine videamus. Prior argumentatio hæc est. *Dies fit*, inquit, *per motum primi mobilis inferiores orbes suo ordine moventis & per consequens orbem Solis. Primum autem mobile non potuit movere orbem Solis primo illo die. Ergo primus dies non est factus secundùm naturæ cursum.* Demus totum argumentum, quid tum obsecro, Antinome? Etsi quousque tandem ἔλεγχοι tui? Dies fit nunc, nūc inquam, ex quo hæc rerum natura absolutè fuit cōstituta, per motum primi mobilis, &c. & Sol nobis nūc fœneratur diem vt antè diximus) instrumentaliter. Similiter de minore illa dicimus, Primum mobile non potuit movere orbem Solis primo illo die: nam aut nondum orbis Solis exstabat, aut nondum erat Sol in eo, siquidem exstabat orbis. Cum Antinomo igitur concludimus, primum ergo diem non esse factum secundum naturæ cursum: nempe hunc cursum, & naturæ hujus in perfectione sua constitutę. Sed aliud est natura inchoata, aliud perfecta: & alius naturæ inchoatæ cursus, alius perfectæ. Omnia enim principio fuerunt potentiâ in natura rerum: sed actu successivè ab illa potentia profluxerunt, substantiæ, qualitates, effectiones, &c. & quidem suo ordine, quem in partibus naturæ hujus Aristoteles vidit & libris Physicis exposuit; in vniversa verò natura non item. Itaque primùm τὰς ἀρχὰς instituit Deus, tum elementa eorúmque affectiones inter: